DE SCIRRHO ET CARCINOMATE UTERI

ADIECTIS TRIBUS TOTIUS UTERI EXSTIRPATIONIS OBSERVATIONIBUS.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA BEROLINENSI

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE OBTINENDIS

DIE XXIX. M. MARTII MDCCCXXVI.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

ED. CASP. IAC. DE SIEBOLD

HERBIPOLITANUS.

OPPONENTIBUS:

G. REINHARDT, *MED. DD.*

FR. MEDICUS, *MED. DR.*

A. HILDEBRAND, *MED. DD.*

ACCEDIT TABULA AENEA.

BEROLINI

TYPIS IOANNIS FRIDERICI STARCKII.

Quisquis medicinae scientiam sibi vere comparare volet, eum his ducibus voti sui compotem fieri oportet, natura, doctrina, loco studiis apto, institutione a puero, industria et tempore.

HIPPOCRATES.

VIRO

ILLUSTRISSIMO GENEROSISSIMO EXPERIENTISSIMO

AD. EL. DE SIEBOLD

PHILOSOPHIAE, MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, MED. ET ART. OBSTETR. PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO IN UNIVERSITATE LITERARIA BEROLINENSI, INSTITUTI REGII OBSTETRICII CLINICI DIRECTORI, REGI BORUSSORUM A CONSILIIS INTIMIS, ORDINIS REG. AQUIL. RUBR. ORDINISQUE HANNOV. GUELPHOR. EQUITI, REG. COLLEG. MEDICO-TECHN. PRIMAR. MEMBR. PLURIUMQUE SOCIETATUM LITERARIARUM SODALI ETC. ETC.

PATRI SUO OPTIMO

AD CINERES USQUE COLENDO

HOC

OPUSCULUM SUUM

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

FILIUS OBEDIENTISSIMUS.

Lecturis S.

Traditurus vobis dissertationem meam, gaudium simul et metum me concipere, lubentissime confiteor. Gaudium enim (cur celem?) me tenet summum, peracto studiorum meorum academicorum curriculo, eoque temporis momento appropinquato, quo iis, quae per annos praeterlapsos didici, hausi, elaboravi, in succum sanguinemque vertere studui, ad sublevandos homines, scientiamque, quoad vires mihi insint, augendam et locupletandam uti possim, duplici ut respondeam fini, a natura animo nostro insito. Quae vero singula hominibus ad edendum opusculum quoddam accedentibus metum facere solent, ea mihi sese objiciunt universa. Sive enim thematis conditio affere perturbationis aliquid potest, de scirrho et carcinomate uteri loqui, in animo mihi est: tot autem virorum ingeniosissimorum labores et sudores in describendo et observando hoc morbo me non fugiunt, meamque de eadem re opellam indignam esse, quam cum eorum operibus comparetis, satis satisque scio: sive juvenilis animi, experientia plane carentis, consideratio, vix praeceptorum aulas reliqui, eorumque doctrinas perceptas propriis observationibus vix adhuc auxi: experientiam vero propriamque observationem medicum omnibus numeris absolutum facere, nemo est, qui dubitet. Sperans autem, fore, ut eadem, quae timorem mihi excitant, excusationem quoque vestram mihi comparent, vobis hanc opellam tra-

dere audeo, indulgentiae vestrae benignoque in me animo confidens. Si vero summo numini in posterum auxilio et spiritu in omnem veritatem ducente me beare ac coeptis meis adspirare placuerit, eo connitar, ut re ulterius expertus probare possim, quae nunc de hoc argumenta proferenda fuerunt, cui omnem diligentiam meam indefessumque studium consecravi, haud immemor *Senecae* verbis, „medicinam esse semper discentem, at nunquam ad veritatem pervenientem." Si autem medicos illos celeberrimos, artis suae heroas, qui eidem argumento omne suum studium impenderunt, e longinquo secutus, non primas, secundas tamen, aut tertias quartasve partes obtinuerim; satis contentus sum, meique nunquam me poenitebit laboris: „summum enim culmen affectantes, iudice *Columella*, satis honeste vel in secundo fastigio conspiciuntur." Valete. Dab. Berol. XXI. Febr. MDCCCXXVI.

§. 1.

„Aegrorum periculis discunt, experimenta per mortem agunt, et aegrotorum animos negotiantur." Hoc de sui temporis medicis judicium tulit auctor antiquus:[1]) sed nemo hodierni aevi erit mortalis, qui eadem de nostra medicina velit repetere verba, nec in ulla civitate medici tam vili habentur loco.[2]) Quam maximos enim ex eo tempore progressus fecit divina ars, nec comparari potest eo cum statu, quem habuit apud veteres, quamquam sagacissimo ingenio interdum praediti essent viri, qui eam tunc temporis tractarent. Attamen illa *Plinii* sententia, quam de romanis medicis ferebat, nullo modo omittenda est; medicus et imprimis chirurgus nunquam obliviscatur hujus sententiae sensus, ne eo in casu, in quo efficaci suo auxilio aegrum liberare velit a miseriis suis, instrumentis utens ad partem aegram removendam, aegrum humi projiciat, orcique faucibus tradat, quum mitiori quadam cura vitam ejus per aliquot tempus adhuc servare, ejusque molestiam lenire potuisset.[3])

§. 2.

Graviores vero casus, quin gravissimos ob animum nostrum versari, quorum curam subiens medicus antedictis accuratissime satisfaciat, nemo erit, qui

---

[1]) *C. Plinius Secundus* in histor. naturali lib. XXIX. cap. 1.

[2]) De causis, cur medici tunc temporis loco habiti sint viliori, confer. libellum cui titulus: „Medicus Romanus servus sexaginta solidis aestumatus. Lugd. Bat. 1671. 12. pag. 47. Defensionem medicorum calumniae leg. in dissertatione „De prisca Roma in medicos suos haud iniqua. resp. A. G. Richter. recus. in *G. G. Richter* opuscul. medic. collect. stud. *J. Chr. G. Ackermann* Vol. II. Francof. et Lips. 1780. 4. — *Drelincurtii* Apologia medica, qua depellitur illa calumnia medicos sexcentos annos Roma exulasse. L. Bat. 1671. 12.

[3]) Valet eadem sententia, quam de Fabio Cunctatore fert *Livius* lib. XXII. cap. 18. „medicos plus interdum quiete, quam movendo atque agendo proficere." — „Cura nocet, cessare juvat" *M. Manilii* astromicon ed. *J. Scaliger* Argent. 1655. 4. lib. III. vers. 74. — Proprium huic rei librum dedicavit *G. Harveus*, cui titulus: Ars curandi morbos exspectatione. Amstel. 1696. 12

dubitet. De levioribus sermo esse non potest: remedio ancipite in his non opus est: anceps enim remedium ancipiti tantummodo respondet morbo. [1]) Terribiles illi casus considerandi sunt, quorum numerus proh dolor! adhuc sufficit, nos docere, humana esse studia nostra, et naturam, nullo modo homini subditam, sua quoque sibi retinuisse jura, ne supra modum exultet homo, et caput suum ad sidera tollat. — Ad haec mala pertinet morbus dirissimus, cujus naturam in hac dissertatione nostra explanare, in animo nobis est, et videamus, quomodo uno seu altero modo omnis temporis medici ejus curam instituerint, sit cura therapeutica sive interna, sit externa, quam vocant chirurgicam. [2])

§. 3.

„Propter solum uterum mulier est id, quod est" optime *van Helmont* de mulieribus dicit: et veritatem protulisse hunc virum, quemlibet medicum confiteri oportet, imprimis si penitiori studio mulierum morbos eorumque curam indagaverit.[3]) Est uterus, cui omnis mulieris vita paret, finisque, quem attingat femina in terrarum orbe, in hoc organo tantummodo latet: propria ejus vita ad pubertatis stadium perducit mulierem, quo peracto recedit uterus, novaque in vita muliebri apparet periodus, quam decrepititatis nominamus stadium, summam nostram merens contemplationem, eodemque physiologi ac medici studio et indagatione dignum, partim quum multae organismi mulieris ex hoc stadio explanandae sunt permutationes, [4]) partim quum multorum morborum seminia in eo sunt quaerenda, quae non solum uterum, sed totam mulieris constitutionem petunt.

---

[1]) Cautissime vero in his quoque morbis agere medicum oportet, ne remediis suis plus noceat, quam juvet, certisque limitibus circumscribendus est ille *Celsi* locus, lib. III. cap. 9. „Quos ratio non juvat, temeritas subinde sanat." Ita *Galenus* in commentario suo ad primum *Hippocratis* aphorismum admonet medicos: „Lignum siquidem et corium male tractantem, corrumpere nullum periculum est: at in corpore humano inexperta experiri, periculo non vacat, cum prava experientia ad totius animalis jacturam procumbat."

Conf. etiam *J. Caes. Claudini* ad ingressu ad infirmos. Basil. 1641. 8. qui libro primo de eadem re praeclarissima profert.

[2]) Veterum sensu curam chirurgicam nominamus, quae scilicet manibus curat. Chirurgiam nostram longe esse aliam et ab antiqua quam maxime discedentem, satis ostendi in commentatione mea: An ars obstetricia sit pars chirurgiae. Gotting. 1824. 4. §. 6. pag. 8.

[3]) „Vesicae vicina infantium mater, gravis calamitas, sexcentarum aerumnarum mulieri author uterus delitescit." *Hippocratis* op. omn. ed. *An. Foesius.* Francof. 1595. fol. sect. VIII. p. 23. in epistol. Democr. ad Hippocr. de natura humana.

[4]) Viro magis appropinquat mulier tempus foecunditatis egressa: barbae in quibusdam observantur vestigia, vox permutatur et q. al. „Mares perpetuo servant sexum, quia natura non intendit in specie humana generare aliquod perfectius masculo, sed interdum repertum est feminas convariare sexum, quia natura semper cupit perfectionem." *Jac. Berengarius* in Mund. fol. 210.

§. 4.

Liceat autem accuratiori considerationi ea submittere, quae de muliere breviter tantummodo diximus, ejusque vitam a parte, quam dicunt physiologicam, illustrare, quoad fini nostro aptum videtur. Vitam muliebrem in certa stadia dividere conanti, tria praecipue ob oculos veniunt, quorum secundum in subdivisiones quasdam abire potest. Primum stadium a partu ad primum mensium fluxum, secundum usque ad cessantium tempus, et tertium ad mortem usque numeratur. Per se elucet, secundi stadii tempore mulierem, pubertatem aggressam, fini suo respondere posse, qua de causa conceptio, partus, puerperium, lactatio ad hoc stadium pertinent.[1]) Uterus vero ejusque functiones summi momenti in describendis his stadiis sunt, eaque, quae supra de ejus dignitate in vita muliebri proposuimus, magis magisque confirmatur.

§. 5.

Mulierem in primo vitae stadio, quod statuitur ab ejus partu ad menstrualem fluxum usque, si consideres, facile duas subdivisiones memoriam tuam subire possunt, quas tamen certis limitibus circumscribi nequeas. Nullum discrimen in primis infantiae annis inter utrumque sexum, exceptis genitalibus.[2]) Discrepant

---

Eaedem mutationes et magis adhuc expressae in animalibus et plantis reperiuntur. Conf. *G. A. M. Kob* diss. de mutatione sexus. Berol. 1823. 8. qui optime de hac re disseruit, multisque eam adumbravit exemplis.

Conf. quoque *Burdach anat. Untersuchungen, bezogen auf Naturwissenschaft und Heilkunst. Heft I.* 1814 *pag.* 21. *„Ueber die Metamorphose der Geschlechter."*

[1]) Quamquam prostent exempla, gravidas fuisse mulieres ante primum menstruationis tempus, pubertatem tamen ex aliis signis jam ingressam esse, facile cognosci potest.

Notum mihi est exemplum, gravidam factam esse puellam, octodecim annos natam, cui nondum menstruatio apparuerat: scrophulosus vero morbus eam a teneris invaserat, quod argumento mihi est, talibus in casibus morboso quodam affectu hanc evolutionem impediri. Sunt quoque per graviditatis tantum tempus menstruationis exempla, quanquam rariora.

Conf. quoq. *Morgagni* de sedibus et causis morborum per anatomen indagat. in opp. omn. Lugd. Bat. 1765 fol. tom. IV. epist. 37. §. 3.

Plura quoque exempla huc pertinentia vide *in Metzgers System der gerichtlichen Arzneiwissenschaft.* 5. *Aufl. Königsb. und Leipz.* 1820. 8. *§.* 431. *not. f.*

Conf, quoq. *Rust's Magazin Band XVIII. St. I.*

De quaestione, utrum mulier, cui menses nunquam fluxerunt, concipere possit, vide: Schurigii Parthenologia. Dresd. et Lips. 1729. 4. pag. 200.

[2]) In primis mensibus non discerni potest in foetu humano, utrum sit generis masculini nec ne. Forma genitalium muliebribus similior, quamquam major clitoris prominens decipere potest medicum minus versatum. Conf. *Lehrbuch der Entbindungskunst. v. Elias v. Siebold.* 1. *Theil. Nürnberg* 1824. 8. *§.* 285 et 286.

neque formae neque organorum teneritas.[1]) Utriusque vitae finis eo tendit, ut nutriatur corpus, vitamque sic dictam vegetativam solummodo ducunt infantes: et functionibus naturalibus in eodem fere statu manentibus per totam utriusque sexus vitam, mirandum non est, in infantibus nullum ex his discrimen percipi. Quae vero similitudo non per totam vitae aetatem primam perdurat. Perspicuas subit mutationes puella aliquot annos jam ante fluxus menstrualis primi tempus, longeque recedit ab alacri puero: hunc statum prodromos psychicos menstruationis nominare in animo nobis esset, si ullam in hac re auctoritatem nobis concedere possemus. Mutatur animus, sive aliam potius in viam vergit, quam pueri: quippe qui mitioris leniorisque indolis in puellis hoc tempore reperitur, futuri temporis vestigia prae se ferens: multorum autem malorum primordia apparent, quibus obstare educationis summum est officium.[2]) Corpus quoque puellae mutatur jam aliquot annos ante menstruationem apparentem: forma lineaeque pulchriores evadunt, quum in puero mox evanescat suavior corporis habitus, artuumque pulchritudo, quae rotundam nobis monstravit formam, mox ad virilem quendam vergit adspectum. In sexu sequiori pelvis paulatim ad omnes crescit dimensiones, latiorque redditur; totius corporis evolutio manifestatur, demonstratque mensium fluxus primus, puellam venisse ad stadium secundum, sive ad tempus virginitatis.[3])

§. 6.

Uterus ad certum perfectionis gradum evolutus et debita energia provisus novam suam vitam secretione cruenta, quae in statu sano et haud gravido inde

---

[1]) Pelvim primis infantiae utriusque sexus annis nullum discrimen ostendere, celeberrimus *Blumenbach*, inter Germanos naturae peritos Nestor, jam contendit in: *Geschichte und Beschreibung der Knochen des menschl. Körpers. Gött.* 1786. S. 329 his utens verbis: „*Im kindlichen Alter in den ersten Jugendjahren ist noch keine Verschiedenheit zwischen den Becken der beiden Geschlechter merklich, erst gegen die Zeit des vollkommenen Wachsthums zeigt sich das weibliche Becken geräumiger uud weiter, als das männliche.*" Conf. *Moreau de la Sarthe* histoire naturelle de la femme. Paris 1803. Tom. I. p. 101. qui hanc observationem populari suo *Dupuytrin* tribuit, sed: „*τῷ τὸν φόρον, τὸν φόρον.*" Epist. ad Roman. cap. XIII. vers. 7,

J. F. Ackermann diss. de discrimine sexuum praeter genitalia. Mogunt. 1788. 8.

[2]) Conf. *Rousseau* Emile ou de l'education. liv. 5.

[3]) Apud nostrates pubertas in sexu sequiori ab anno decimo tertio usque decimum sextum incipit, quamquam exceptiones non desint. Jus romanum annum duodecimum, borussicum vero annum decimum quartum designat pubertatis incipientis tempus. Coelum vitaeque genus quam maxime hanc regulam mutare, satis liquet. Conf. *Falconer's Bemerkungen über den Einfluſs des Himmelstrichs. Leipz.* 1782. — Puellam helveticam anno nono gravidam esse factam, narrat *Blumenbach* in med. Biblioth. pag. 558.

Menstruationem vero inter prima semper numerari signa pubertatis, ab omnibus fere constitutum est medicis. „Non modo aetas apta ad feminarum pubertatem spectat, sed etiam praecipue eo requiritur, ut mensium legitimo fluxu illae sint praeditae." *Mich. Albert* in jurisprudent, med. systema. Hal. 1725. 4. cap. 2. §. 10. p. 27.

Paulus Zachias Quaest. med. legal. Francof. 1688. fol. n. 28. pag. 18.

a pubertatis tempore usque ad initia senectutis perdurat, ostendit, quamquam statuere non possumus, subito mutari uterum: praeparationes quasdam jam aliquot annos ante hoc tempus hoc organon patitur. [1]) Virgo, quae nunc ad pubertatis tempus pervenit, officiis suis fatisfacere potest, a sua parte nil obstat. Per totam vitam muliebrem uterus summa nunc dignitate habendus est, simulque in morbis mulierum summi momenti est, quum functiones genitales quam maximam in feminas exercent vim a prima earum evolutione. [2])

Quae uteri evolutio duplici modo exercet vim suam in organismum muliebrem: mutatur earum animus simul cum corpore. Ita mammae mensibus ingruentibus sororiant et insigniter prominere incipiunt, nec unquam cum systemate uterino connexum perdunt, cujus rei multa nobis prostant argumenta, quorum unum tantummodo proferre liceat, nempe dolores, quibus interdum afficiantur eae, quibus menstruatio imminet. [3]) Ceterum totus habitus in aliam mutatur formam, facies quietiorem suavioremque praebet adspectum, oculorum ardor splendet miti quadam igni, vox firmior redditur, totumque sanguinis systema auctiorem ostendit energiam. Veneris desiderium omnes corripit, quod compesci bona tantummodo eruditione, nunquam autem opprimi potest. [4]) Ex omnibus earum actionibus elucet placendi cupedo, ad quam omnes flectuntur virtutes et vitia, quae silentio omittamus, ne ultra fines propositos transgrediamur. [5]) Con-

---

[1]) Conf. *El. von Siebold über den Gebärmutterkrebs, dessen Entstehung und Verhütung. Berl.* 1824. 8. *pag.* 6.

Joerg Abbildungen der Organe des thierisch. Körpers. 1. Theil. Die weibl. Organe u. s. w. pag. 9. *„Die innern Geschlechtstheile des menschlichen Weibes aus verschiedenen Lebensperioden."*

[2]) Totum systematis nersovi morborum numerum contemplemur quorum sedes saepe in functionibus genitalibus. „Uteri affectiones, imprimis genus nervorum spectantes, adeo multiplices observatae fuerunt, ut inde ortae fuerint convulsiones, et cum illis saepe epilepsia." *Boerhaave* de morbis nervorum. Tom. II. Francof. et Lips. 1762. 8. pag. 698.

Göthe in Faust: „Es ist ihr ewig Weh und Ach, so tausendfach, aus einem Punkte zu curiren."

[3]) Nota mihi est mulier, quae quolibet ante menstruationem imminentem tempore, et decimo quidem quarto plerumque die doloribus in mammis vexatur pungentibus. Aestumatissimus quidam praeceptor Gottingensis, se eadem in femina generosissima observasse, mihi communicavit. Mammarum sympathia in uteri morbis satis est nota.

J. Anemaet de mirabili, quae mammas inter et uterum intercedit, sympathia. Lugd. Batav. 1784.

Inter signa pubertatis numeratur mammarum intumescentia, cujus meminit Propheta *Hesekiel* cap. 16. v. 7.

[4]) „Indies virgines, quae pubertatis tempus acquisiverunt, naturali instinctu salaciores evadunt, suumque appetitum venereum, nisi per dei gratiam et omnium virtutum reginam, castitatem, resistant, unico voluptatis remedio, congressu nimirum cum viro, sedare exoptant." *Schurigius* in gynaecologia. Dresd. et Lisps. 1730. 4. in praefatiuncula.

Virgines cum mammae intumescunt, et sororiant, diligenter custodiri debere, monet etiam *Joh. Riolanus* Anthropograph. Lutet. 1649. fol. lib. 2. cap. 35. fol. 195.

[5]) Conf. *El. von Siebold, Handbuch zur Erkenntnifs und Heilung der Frauenzimmerkrankheiten. Erst. Bd. Frankf. a. M.* 1821. *pag.* 109. *„Das Weib von der intellectuellen Seite."*

ceptio, graviditas, partus etc. ad hoc stadium numeranda sunt: quibus rite finitis mulier officio suo satisfecit, uterusque functiones a natura sibi insitas optime implevit. Sed non omnibus hoc contingit feminis: multae sunt, quae ad tertium perveniunt stadium, quin fini suo responderint: talibusque cum imperatore illo romano esset exclamandum, se dies perdidisse! Patet quidem, multis morbis occumbere mulierem in his stadiis, quibus perfectionem suam ostendat, virginemque liberam manere ab his dispositionibus morbosis: attamen virgines, quae nunquam matres sunt factae, pessimis cruciantur postea malis, quae certius interdum eas invadunt, uterusque munus a natura sibi praedestinatum, non impletum ulciscitur: nec nostra opus est hac in re annotatione, animum quoque earum, quae nunquam matris gaudia perceperint, perversam accipere formam, longeque in aliam dirigi viam, quam natura voluerit. [1])

§. 7.

Fluxus menstruationis cessatio tertium nobis porrigit stadium in vita mulierum, seniumque earum incipere ostendit. [2]) Duplici via ad hoc tempus pervenire potest mulier: felix mater hanc aetatem ingreditur, suavium liberorum nepotumque corona circumdata, conscia officii sui impleti, futuri temporis felicissimum exspectat exitum, praeteritamque suam aetatem optime emensa respicere potest: aut virgo decrepita hoc stadium attingit, cujus summum taedium fastidiumque eam capere necesse est. In utraque uteri vita silere incipit, quod cessantibus mensibus ostendit hoc organon: desiit prioris temporis vita ejus propria nec unquam redit. Quanti vero momenti hic transitus in totam mulieris vitam aestimandus sit, ex eo apparet, quod medici omnis temporis periculosissimum habuerint hunc statum mulieribus, longamque promiserint vitam feliciter hoc stadium ingressis. [3]) Est quidem hic transitus secundum naturam, nec morbosi

---

[1]) Quibusdam nationibus virgines intestabiles esse, satis patet ex itinerum scriptoribus recentioribus: quod corruptos autem ostendere mores, nullo modo contendere possumus. Certe mulieres apud hos populos non omnibus morbis, qui nostras vexant, obnoxiae sunt, vitamque saniorem ducunt. Morem vero singularem, nec omnino vituperandum, in insula Portlandica vigentem, qui cognoscere velit, evolvat Biblioth. Britannique, Littérature, Avril, 1796. p. 611.

François Mery An innuptis mulieribus summa vitae brevior? Conclus. affirm. Paris. 1726. 4.

[2]) Quadragesimus annus constitui solet hujus stadii initium, quanquam eaedem, ac supra huc valent exceptiones. Plura qui haurire velit de aetatis stadiis, evolvat *W. H. Ploucquet vom menschlichen Lebensalter und den davon abhängenden Rechten. Tübing.* 1779.

[3]) Annorum climactericorum, quos veteres tanto affecerunt pretio, vanitatem multi quidem satis argumentati sunt viri, inter quos laudare sufficiat *Rudolphi: Grundriſs der Physiologie. Erster Band. Berlin* 1821. 8. *pag.* 266. et *Hilscher* diss. de vano aetatis humanae anni LXIII. I, climacterici magni vulgo dicti, timore. Jen. 1743. 4. Aliquid tamen veri inesse negare non possumus, imprimis si annum decim. quart. et praecipue quadragesimum nonum respiciamus, quo ultimo numero transitum ad senium certe designavere.

aliquid inest: sed id habet cum ceteris phaenomenis naturalibus commune, ut causis quibusdam externis nocivis permutari possit in statum morbosum. Uterus, si functionibus suis responderit, appetitumque suum, quem designat *Plato*, impleverit, feliciter si transgressa sit mulier per tempus graviditatis, partus, puerperii tempus, vitamque modicam, prudentem nec unquam luxuriosam duxerit, uteri viribus nullo modo abusa: facile hoc stadium intrabit, longaque eam exspectat vita, omnibus malis immunis, etsi huc quoque exceptiones possint statui. Quae vero feminae infelicem duxerint vitam, moerore et tristitia plenam, nimis quae indulserint Veneri, aut uteri vires multis partubus supra modum debilitarint: iis jam gravior ad hoc tempus patet via, multis periculis plena. In eadem vocantur pericula virgines istae aeternae, de quibus jam sermo erat, quae omnibus privatae erant emolumentis, quibus utitur natura, ut felicius mulieres perducat per hoc stadium criticum: luget tanquam uterus, se non implesse functiones suas, et invitus tempus relinquit, in quo utilitatem suam ostendere adhuc potuisset. Quam vero periodum mulier si secunda fortuna transgresserit illaeso utero, longiorem vitam exspectare potest, ceteris quoque momentis feliciter confluentibus, cujus rei tot nobis prostant exempla, donec morte resolvitur ejus corpus, animaque ad vitam sempiternam commigrat.

§. 8.

Qua physiologica consideratione finita, liceat brevem eorum facere mentionem, quae pertinent ad partem mulieris pathologicam, quoad scopo nostro conveniat. Majore morborum numero affici mulierem, quam virum, extra omnem dubium ponere possumus, magisque esse obnoxiam affectibus morbosis, jam ex teneriore ejus constitutione patet. [1]) Eadem ex causa morbi, quos patitur sexus sequior infantiles, periculosiores sunt. A prima juventute mulier vitam degit sedentariam, mollitiei indulget, majorem sibi receptivitatem comparat, si causis nocivis se exponere necesse est; [2]) secundum vitae stadium ingressam morborum numerus petit, qui ex menstruationis vitiis proveniunt, et ex majore uteri vita. Nimis mature fluere potest feminae sanguis menstrualis, priusquam partes, quae huic negotio inserviunt, sunt praeparatae: sed vice versa partibus praeparatis apparere non potest: menstruatio modo nimis crebra, modo nimis parca vexat ae-

---

[1]) Conf. *Franç. Maillard* An mulieres pluribus obnoxiae morbis, quam viri? Conclusio affirm. Paris. 1718. 4.

Rud. Friedr. Hartmann diss. sistens differentiae sexus utriusque pathologicae momenta. Gotting. 1790. 4.

Das Weib im gesunden und kranken Zustande. Nach dem Französ. von Virey u. Fournier, bearbeitet von Renard u. Wittmann. Leipz. 1821. 8. *pag.* 188.

[2]) Ita quoque mulieres saepius quam viri neuralgiis cruciantur, quod *Fothergill* jam observarat, in quibus sensibilitas saepius primum obtinet locum et omnia regit.

gram, seu doloribus cruciat miseram: ex suppressis mensibus pericula invadunt feminam, seu insolitis viis provenit sanguis [1]) etc. Quem numerum morborum ex hoc solo phaenomeno! At tertiae periodi principium e cessante menstruatione iisdem fere periculis afficitur: perpaucae enim sunt mulieres, quae hoc tempore non querantur de prostratione virium, torpore, doloribus colicis, cephalalgia, defectu appetitus est. Quin haemorrhagiae vehementes oriri possunt, [2]) quae vitae energiam quam maxime debilitant, sequiturque hydrops, cachexia, febris hectica. Qua tandem periodo finita, nihilominus mulier infelicissimam vitam degit: quippe quae interdum e prioris temporis miseriis uterum aegrum in hoc stadium perduxerit. Nominandi vero sunt ex priore tempore morbi, qui mulieres vexant, e functionibus genitalibus orientes, chlorosis, [3]) furor uterinus, hysteria, sterilitas. [4]) Ita in feminis mammae dispositionem porrigunt morbis. Si vero mentem nostram adhuc subit periodus graviditatis, partus, puerperii, novus morborum campus nobis aperitur, quamquam haec omnia sesundum naturam fiant. [5])

§. 9.

---

[1]) „Tam variae, insolitae, imo pene incomprehensibiles sunt viae menstruorum, naturali suo atque consulto itinere variis de causis exclusorum, ut nulla fere corporis pars, nullumque membrum inveniatur, in quod, turbato rerum ordine, impetum non fecerint, atque per idem, violenta quasi effugia quaesiverint." *Triller* in exercitat. decima de mensibus per nares Leonidae filiae erumpentibus etc. in opusculis medicis ac medico-philologicis. Vol. I. Francof. et Lipsiae 1766. 4. pag. 524. etc.

Schurigii parthenologia Cap. III. de insolitis menstr. viis pag. 83., qni innumerabilem insolitarum viarum numerum proponit exemplisque illustrat.

[2]) De his haemorrhagiis vide *Fothergill*: „*Ueber eine Art der haem. uteri bei alten Damen in den climact. Jahren etc.* Imprimis in mulieribus luxuriosam vitam degentibus, qui nunquam peperere, observantur.

[3]) Quam chlorosin *Kaltschmidt* in vidua triginta annorum observavit. Vid. ejus dissertat. Vidua triginta annorum chlorosi laborans. Jen. 1752.

In sexu quoque potiore hunc morbum inveniri, quanquam non eundem attingat gradum, ac in feminis, satis patet.

[4]) Feminas, quae nimium ingenii facultates, sed perverso saepissime modo excolunt, steriles plerumque esse, observatio est, in quam omnes fere medici, inprimis quibus in urbe majori morari sors contigit, unanimiter consentiunt. Conf. *M. Alberti* de infoecunditate corporis ob foecunditatem animi in feminis, respond. *G. G. Richter.* Halae 1743. — In viris autem, qui nimis indulgent scientiis, eadem nonnunquam observatur res, quae tamen magis excusanda.

[5]) Partis feminae psychicae ne mentionem quidem facere necesse est. Inter omnes enim constat, majorem semper esse numerum vesania, melancolia etc. laborantium e sexu feminino, cujus observationis causa satis satisque patet. Conf. Metzger l. l. pag. 486.

Tempore evolutionis maxime psychicum puellarum statum affici, *Osiander* nostris temporibus praecipue illustravit. *Entwickelungskrankheiten in den Blüthenjahren des weibl. Geschlechts. Tübing.* 1820 *und* 1821. 2. *Ausg.*

Conf. *Henke, Lehrbuch der gerichtl. Medicin. 4te Ausg. Berlin* 1824. 8. §. 287 *et* 288.

§. 9.

Haec introductio necessaria nobis fuisse videtur, ut ab ea parte mulierem accuratius consideremus, quae per totam ejus vitam maximi semper habenda est momenti. Cognovimus, quantum pretium habeant functiones genitales in dijudicanda physiologia et pathologia sexus sequioris, ita, ut dicas, feminam genitalibus, non genitalia feminis esse conjuncta. Inter quae uterus superiorem tenet locum, ceteraque ei subdita sunt, quod jam ex ejus situ in pelvi elucet: quippe qui in medio situs inter vesicam et intestinum rectum, defenditur quasi et fovetur, ne detrimenti quid capiat.[1]) Quanto vero morborum numero hoc organon obnoxium sit, ex supra dictis satis elucet: nec unquam medicus negligat explorationem internam iis in feminis, quae morbis gravioribus et interdum obscurioribus vexantur: iu utero latet totius morbi atrium, quo sublato cetera quoque ad meliora redibunt.[2])

§. 10.

Uteri pars, quae supra vaginam haeret, peritonaeo circumdatur, portio autem vaginalis tunica mucipara est instructa, quae ex vagina oriens totam ejus partem vaginalem ambit, per uteri os in cavum uteri repens tunicam uteri intimam constituit, progrediturque per tubas fallopianas in ovaria, eque tubarum ostiis abdominalibus eveniens intime cohaeret cum peritonaeo.[3]) In cervicis uteri superficie interna palmae plicatae seu juga cervicis uteri sunt, inter quas palmas lacunae sunt et glandulae muciparae, quibus humectatur internus paries. Ceterum substantia uteri componitur textu celluloso, vasis sanguiferis et lymphaticis, nervis et fibris singularibus, tempore graviditatis magis conspicuis. Textus cellulosus insignem partem parenchymatis uteri efficit, densissimus invenitur in virgini-

---

[1]) Memoratu dignum est, quod habet *Regn. de Graaf* de organ. mulier. cap. 8. pag. 232. „foetus situm esse inter vesicam et intestinum, ut homines ex fragili et peritura materia inter stercus et urinam nati, et in terram ac cinerem resolvendi, vilis et abjectae suae conditionis memores superbiae alas demitterent."

[2]) De utilitate explorationis in dijudicandis morbis muliebribus satis in commentatione mea supr. laud. §. 50. egi. — Quemlibet medicum versatum esse in hac arte oportet, nec valet eorum excusatio, qui dicant, mulierum pudorem in quibusdam casibus explorationem non concedere: medicus solummodo omni, qua decet, observantia eam postulet, et si de ejus necessitate aegrae persuaserit, nunquam venia deficietur. Qui vero in explorationem investigent, imperiti sunt hujus artis, nec exercitationem sibi comparavere. Hinc illae lachrymae!

[3]) De anatomia uteri conf. *Ueber das Gebärorgan des Menschen und der Säugethiere von Joerg. M. K. Leipz.* 1808. *fol.*

Walter Beobachtungen über die Geburtstheile des weiblichen Geschlechts. Berl. 1776.

Lobstein Fragment d'anatomie physiologique sur l'organisation de la matrice dans l'espece humaine. Paris. 1803.

bus, rarior vero statu gravido.[1]) Pars vero parenchymatis exterior densior firmiorque observatur, quam ea pars, quae vergit ad cavum uteri, ut patet e maceratione hujus organi, anatomicis finibus instituta.[2]) Valet vero e mucosi humoris uteri interni parietes humectantis natura, magis excultam esse cervicem uteri organis huic secretioni destinatis: est enim humor cervicis tenacior, limpidus et subrubescens, qui vero in uteri paratur cavo, subalbidus, turbidus, serosoque dilutus humore. Non caret uteri parenchyma glandulis, quas dicunt lymphaticas seu conglobatas, immersae enim haerent glandulae omnibus iis partibus, quae textu celluloso copioso gaudent.[3]) Arteriae largissimam praebent utero sanguinis copiam, et quidem arteriae spermaticae internae ex aorta ipsa orientes, rarius altera ex arteria renali, ad ovaria plurimum tendentes, missis tamen aliquot ramis ad uteri partes laterales. Sunt quoque spermaticae externae, arteriae epigastricae rami; ligamentorum teretium partem efficientes, ad uteri substantiam accedunt. Tertio nominandae sunt arteriae uterinae, spermaticis majores, quae ex hypogastrico ramo, qui arteriam umbilicalem efficit, orientes, ad vesicam urinariam ramulis dimissis, partim ad inferiores et laterales uteri partes accedunt, partim ad corpus et fundum. Conjunguntur cum oppositi lateris arteriis, maximumque uteri rete efficiunt. Ceterum omnes inter se confluunt arteriae, et serpentinam formam imitantes praecipue uterinae, in statu uteri gravido quam maximam pati possunt extensionem.[4]) — Venae sunt spermaticae internae, quae eandem viam retro petunt, ac arteriae ejusdem nominis, spermaticae externae et venae uterinae. Constituunt plerumque plexum pampiniformem sic dictum imprimis venae spermaticae internae, et omnes anastomosi inter se conjunctae iisdem ac arteriae flectionibus gaudent.[5]) — Vasa lymphatica e substantia et superficie uteri emergentes, ad plexus hypogastricos, spermaticos internos et crurales abeunt.[6]) — Nervi partim e plexu renali, mesenterico superiore, et nervo sympathico maximo oriuntur, partim ex plexu hypogastrico et nervis cruralibus,

---

[1]) Uteri gravidi anatomiam qui penitiore perscrutare velit studio, ille sumat opus nullo alio adhuc superatum: G. *Hunter* Anatom. uteri humani gravidi tabulis illustrat. Birmingham 1774. fol.

[2]) *Chr. H. Ribke Ueber die Structur der Gebärmutter. Berlin* 1793. 8. *pag.* 7.

[3]) Ex veteribus glandulas negant *Ruysch* thes. anat. II. p. 56. Amstelod. 1701. 4. et *Camerarius* dissert. epist. Tub. 1712. 8. ep. 9. p. 129: eas vero affirmant: *J. J. Harder* apiar. s. observat. Basil. 1687. 4. 8 Schol. p. 18. Med. Nat. C. Dec. III. An. 5 et 6. obs. 93. pag. 181.

[4]) Vasa sanguifera uteri optime invenies descripta in: *Walter* de morbis peritonaei et apoplexia. Berol. 1785. 4. tab. 12. p. 24.

[5]) Quantam extensionem pati possint haec vasa, ex multis iconibus in libro citato *Hunteri* perspicere potes.

Conf. quoque *Roederer* icones uteri humani. Gott. 1759. f. tab. quart.

[6]) *Cruishank Geschichte und Beschreibung der einsaugenden Gefaeſse. A. d. Engl. von Ludwig. Leipz.* 1789. *S.* 135.

et magnae dignitatis sunt habendae.[1]) — Fibrae, quas dicunt musculares,[2]) in utero non gravido vix observantur, et cum utero gravido simul magis ad lucem perveniunt. Sunt durae, et tali vi cum aliis partibus firmitate implicantur, ut solae explicari nullo modo possint. Partu vero finito paulatim recedunt hae fibrae, quas optime comparare possumus cum fibris inflammatione in aliis quoque partibus ortis, et quarum natura fibris arteriosis propior accedit.[3])

§. 11.

Morbus princeps, in quo una via ipsa sanationis causa latet, altera vero terribillimos in organismo effectus qui producit, in quo tanta vitiorum series nititur, ille status est, quem nominant ex antiquissimo medicinae tempore inflammationem. Hujus loci non est, ejus definitionem proferre, quae res adhuc magnopore latet:[4]) addere tamen sufficiat, ejus praesentiam sequi in corpore humano affectiones pathologicas, cujus unam seu alteram huc accuratius perpendere necesse est. Notandum vero a nobis erit, nos non solum verba facere de inflammatione acuta, cujus symptomata luce clariora observantium oculos petunt: sed inflammationes quoque, quas dicunt chronicas vel habituales auctores, a nobis considerandas esse, quamquam multi sunt, qui contemnant hoc nomen. Eodem modo is status, quem Anglorum plures sub nomine „iritation" distinguunt ab inflammatione, proxime tamen accedit affinisque ejus nominari potest. Orgasmus et plethora veterum, erethismus recentiorum nonnullorum, et congestio activa ad eundem fere numerari possunt statum. Vita propria in organis, quae petuntur his phaenomenis, augetur ultra modum, et quamquam irritatione nondum emergunt producta morbosa, attamen partes vehementer hoc statu afficiuntur, ita, ut inflammatio, quae nobis est chronica, inde oriatur, morbosisque phaenomenis causa porrigatur.[5])

---

[1]) Tabulae nervorum uteri, auct. *Tiedemann*. Heidelberg. 1822. fol.

[2]) Plura de musculosa uteri structnra, de opinioue *Calzae* et *Meckel* vide in *von Siebold's Frauenzimmerkrankheiten Th. I. pag.* 83. §. 68, 69 et 70.

Chr. A. Hauenschild diss. de musculosa uteri structura. Jen. 1782. 4.

Ger. Blasius Comment. in Vesling. p. 97. dicit: „uterum esse carnem sui generis;" omne autem studium et indagationem relinquimus, si de re quadam contendimus, esse sui generis: melius, nescitiam nostram confiteri, quam finem tali modo scientiae imponere, et in his contemplationibus desipere.

[3]) *Rudolphi's Physiologie. l. l. I. B.* 98. *Not. p.* 89.

[4]) Hujus processus organici expositionem accuratiorem in quolibet chirurgiae compendio invenies: medicorum vero sententias ex antiquissimis temporibus legere cupiens legat: *Langenbeck, Nosologie und Therapie der chir. Krankheiten. Th. I. Gött.* 1822. 8.

De effectu inflammationis salutifero vide: *J. Moore* dissertation on the process of nature in healing of wounds etc. Lond. 1789. 4.

J. Hunter treatise on the blood, inflammation and gun-shot-wounds. Lond. 1794. 4.

[5]) Conf. *Mende, Krankheiten der Weiber.* 2t. *Th. Berl.* 1811. 8. *p.* 92.

Notandum adhuc est, ipsam conceptionem attingere inflammationis statum: eadem fere phaenomena quanquam minora hunc actum sequuntur.

§. 12.

Optimus inflammationis exitus is est, quem nominant resolutionem auctores: omnia ad sanitatem redeunt, vitaeque energia, altiorem quae adepta est statum, ad priorem revertitur, silentibus inflammationis signis. Talem in uteri inflammatione acuta invenimus exitum, qui vero intra septimum vel decimum quartum diem nisi apparuerit, suppuratio, seu hydrops, vel gangraena hujus organi sequitur, quorum hydrops rarior observatur. Inflammatio vero chronica magis ad pejora dirigitur, quae jam ob longum decursum difficiliùs ad sanitatem redeat ea via, quam sibi proponit inflammatio acuta, sed degenerationes plerumque topicas relinquit. Inter quas alius adhuc inflammationis exitus observatur, quem vocamus indurationem, quae praecipue in organis glandulosis v. c. in mammis, hepate, testibus etc. invenitur. Sunt auctores, qui indurationem in organis glandulosis ortam nominent scirrhum,[1]) iis in partibus vero, quibus non sunt glandulae, indurationis nomen conservent.[2]) Sunt vero alii, qui discrimen faciant inter indurationem et scirrhum secundum utriusque naturam, quod maxime nos arridet, distinctiusque certe utriusque denotat effectum.[3]) In induratione substantiae degeneratio, quae orta est, eodem in gradu manet, quin mutetur. Exsudata materia arctissime cum organi parenchymate conjuncta est, nervi, vasa, tela cellulosa et cet. unam quasi massam constituentes cohaerent: torpor et quies adsunt. Scirrhus vero morbus est adhuc perdurans, dyscrasia sui generis, magis magisque ad deteriorem adhuc statum repens, cujus durities cartilaginea, tuberculosa, quam non destruit maceratio. Quem statum appellare possumus indurationem scirrhosam, priorem vero indurationem *κατ᾽ ἐξοχὴν*, si vitare in animo nobis esset designationem ambiguam.[4])

---

[1]) Conf. *Callisen System der neuen Wundarzneikunst, a. d. Lat. von Kühn. Kopenhag.* 1791. 2t. *Theil. §.* 172.

[2]) Plura de indurationis et scirrhi nomine vide in *Carl Wenzel über die Induration und das Geschwür in indurirten Theilen. Mainz*, 1815. 8. pag. 48.

G. van Swieten commentaria in H. Boerhaave aphorismos. L. Bat. 1766. 4. tom. I. p. 843.

[3]) *Ph. von Walther, Ueber Verhärtung, Scirrhus, hartem und weichen Krebs, Medullarsarcom etc., in Graefe und Walthers Journal. V. Bd.* 2. *Heft. Berlin*, 1823. *pag.* 196.

[4]) Galli differentiam inter indurationem et scirrhum jam dudum comprobavere, sed non accurata eorum distinctio est, ut ex sequentibus patet: „On ne doit point confondre le squire avec l'induration, qui succéde aux phlegmasies chroniques, bien qu' il arrive, que ces deux états se compliquent et soient entre eux réciproquement causes et effects." Diction. des scienc. médical. Par. 1821. tom. 52. pag. 379. — Nominabatur scirrhus jam a *Galeno* „tumor durus, qui sine dolore est, non tamen omnino sine sensu: talis enim sanabilis non est." Method. med. LXIV. cap. 6. p. 324 edit. Chart. — *Benjamin Bell, Lehrbegriff der Wundarzneik. a. d. Engl.* 7. *Th. Leipz.* 1810. *p.* 638. dicit: „scirrhum esse tumorem indolentem, in corporis parte glandulosa, singulatim ortum, nec idoneum verae suppurationi." Omisit vir doctissimus ejus pro-

§. 13.

Causam indurationis seu scirrhi proximam si perquiramus, lympha plastica affectis in locis effusa atque vasorum absorbentium vi sugendi derelicta nominanda est: [1]) extincta inflammatione seu irritatione in parte residet, coagulum quasi subit, tumoremque durum et indolentem tali modo efficit. In induratione causa abiit, non amplius agit, finitum est exsudationis inflammatoriae productum. Scirrhus vero causa non cedente morbus est chronicus, simulque exortus et increscentiae et evolutionis futurae germen in se continet. Major partis affectae inde oritur circuitus, durities ab infarctis, coagulatis inspissatisque vasis adest: nervisque per haec compressis doloris absentia oritur: et in scirrho insanabili ab eadem causa, ut dixit *Galenus*, insensilitas fit, quae res nobis indicio est, omnem vitam ab hac parte esse ablatam, nec unquam esse redituram. Sed scirrhi ad carcinoma pessimum morbum tendenti proprietas vitam suum non omnino esse abolitam, satis satisque palam facit. [2])

§. 14.

Tristissimus status, in quem transire solet scirrhus, is morbus est, quem cancrum seu carcinoma vocant. [3]). Est autem cancer ulcus malignum, plerumque in parte scirrhoso ortum, sed propriae indolis; [4]) inflammari incipiunt primo partes induratae, [5]) nova redit vita, sed ad pessimum plerumque perducens exitum: dirissimis cruciatibus mors tandem finem imponit. Ex definitione nostra cancer duplici modo oriri potest: scirrhum praegressum sequi cancrum, jam con-

---

clivitatem in carcinoma. — *Meckel in Handbuch der path. Anatom. II. Band, 2te Abth. Leipz.* 1818. 8. pag. 338. primum cancri stadium nominat scirrhum. — *Scarpa* in membranis mucosis scirrhum sedem suam habere, in libro suo proponit: Sullo scirro e sul cancro. Memoria etc. Milano. 1821. Vid. *Frorieps Notizen. März* 1823. nro. 5. p. 71 et seq. Cujus sententiae confirmationem habet *Walther* l. l. p. 214.

[1]) Conf. *J. P. Frank* de curand. hom. morb. epit. l. II. §. 129. p. 16.

[2]) Anatomiam scirrhi nobis dedit *Wardrop*: „e duabus substantiis valde diversis constare, inquit, altera dura atque fibrosa, altera molliore atque inorganica composita." Vid. Observations on fungus haematodes or soft cancer. Edinb. 1809. 8. p. 181.

[3]) Hoc nomen huic datum fuisse, dicit *Galenus* meth. med. ad Glauc. lib. II. p. 12. ed. Chart. tom. X. pag. 390, quod similitudine quadum cancrum (animal) referat. „Uti enim illud animal utrimque pedes porrigit, sic et venae sanguine atro turgentes undique ex carcinomate exeunt." — *)

[4]) *Walther* l. l. pag. 214. *„Krebs ist nicht nur ein Geschwür von der schlimmsten Art, sondern zugleich von einem eigenthümlichen specifischen Character."*

[5]) *Walther* eod. loc. *„Vorher, ehe Krebs entsteht, müssen vorbereitende Veränderungen vorhergegangen sein."*

*) Conf. quoq. Oeconomia Hippocratis auctore *A. Foesio* Francof. 1588. fol. Art. *Καρκῖνος*.

tendimus.[1]) Sed ulcera quoque venerea, herpetica, scrophulosa, aliaeque excrescentiae, condylomata, polypi mutari posse in cancrum, experientia docet.[2]) Scirrhus tumor est durus, indolens, ut jam vidimus: quamdiu autem cancro jam exorto integumenta nondum erosa sunt, sed suis adhuc obvelnatur pellibus, occultus nominatur: ubi vero in ea transierit malignitatem, ut eroserit integumenta, saniesque exeat, tunc vocatur cancer manifestus, vel ulceratus seu apertus.[3])

Ad singula symptomata praedominantia dividere quoque possumus carcinoma in *carcinoma ulcerosum*, quod acri quodam ichore vicinitatem velocissime erodit, *carc. sphacelosum*, quod gangraena afficit vicinas partes terribilemque spargit odorem, *carc. fungosum*, in qua specie plurimae se ostendunt excrescentiae. Ex omnibus autem elucet, esse carcinoma exulcerationem in contextu organico, quae in partibus integris, nisi ante mutationibus organicis fuerint praeparatae, nunquam reperiatur.[4])

§. 15.

Quibus generalioribus de scirrho et carcinomate perspectis, transeamus ad accuratiorem ejus indagationem, cujus sedes in utero et in organis huic proximis. Uterum ex structura obnoxium esse huic morbo [5]), ex supra dictis jam patet, neminemque fugiet, qui comparationem instituat inter anatomiam uteri scirrhique naturam. Orificium uteri et collum saepius hoc malo affici, inter omnes convenit medicos [6]) experientia quoque hanc rem affirmat, quod quidem causis nocen-

---

[1]) *Hippocrates* de morb. mulier. lib. II.: „Et in mammis tubercula dura oriuntur, quaedam vero minora: haec autem non suppurantur, sed semper duriora fiunt; ex his deinde occulti cancri nascuntur."

[2]) Pertinent huc verrucae malignae, tubercula, quorum *Alibert* in nosologia sua p. I. mentionem facit. (Cancer tuberosus) Vid. *Chelius Handbuch der Chirurgie. Heidelb.* 1822. 2. *Band.* p. 1307.

[3]) Saniem effluentem in quibusdam casibus, sed rarissimis, deesse, *Walther* nobis proposuit, talemque cancrum lingua vernacula nominat „*Verwittrungskrebs*" l. l. pag. 217. Evanescit enim substantia organica, nec scimus, quo tenderit. Nervi mihi praecipue affecti videntur, vim suam non ultra, vel perverso quodam modo exercent, tabesque tali modo sequitur. Qui autem status quam maxime differt a simili morbo, qui a nervis initium suum habet, sed ad neuralgias magis pertinet. Vid. *Heinecke* diss. de mastodynia nervosa. Berol. 1821. 8. — *El. de Siebold üb. Gebärmutterkrebs* l. l. pag. 85. eadem observavit ac *Walther*.

[4]) *Roux Parallele der franz. u. engl. Chir. Weimar,* 1817 et *Bell* fungum haematoden carcinoma molle et fungosum nominant. — Vid. *Walther* l. l. p. 189. — Anglis quoque cancer mollis est fungus haematodes. Vid. *Wardrop* l. l.

[5]) *Morgagni* de sedib. et caus. morb. epist. XXXIX. §. 35. „Scirrhis, inquit, esse uterum suis cum appendicibus maxime obnoxium, morbo perdifficili, nisi cito cognoscas: insanabili, si in cancrum degeneravit."

[6]) *El. v. Siebold Frauenzimmerkrankh.* 1. *Band,* p. 623. §. 742. — Exstirpationum partialium casus inde proveniebant, quum malum tali modo facilius cognosceretur, de quibus infra. Uterus ob oculos mihi est, quem sub auspiciis patris mei e cadavere mulieris exsecui, in quo optime

tibus externis magis sit expositum,[1]) pluresque ibi sitae sint glandulae, quamquam corpus uteri nullo modo iis caret, praecipue si mucosam ejus membranam internam contemplemur. Habemus quoque exempla, in fundo uteri incipere morbum, et inde totam partem afficere, sed rariores sunt casus, quam ii, de quibus sermo. Per annos, si pars tantum uteri scirrhosa fuerit, in statu isto perseverare potest: imprimis, si omnia, quae morbum deteriorem gravioremque reddere queant, sedulo vitare conentur aegrae. Progrediente vero morbo totus uterus arripitur, tumet, crassius parenchyma invenitur, induratio indies crescit [2]), et carcinoma quod vocant oritur, ulcus scilicet malignum in parte scirrhosa. Cessantibus mensibus in carcinoma exitus luculentissime observatur: perdurante enim menstruatione parti quamquam jam aegrae sanguis detrahitur, et stagnatio inflammatoria (inflammatio chronica) tali modo finibus circumscribitur. Mensibus vero finitis celeritur carcinoma arripit uterum, vicina quaelibet corrodit, mortemque appropinquat.

§. 16.

Priusquam ad signa hujus morbi diagnostica transeamus, pauca dicere liceat de iis morbis, qui cum scirrho uteri confundi possunt. Fines autem opellae nostrae transgredi in animo nobis non est, qua de causa nominentur tantummodo morbi, quibus similitudo aliqua est cum malo nostro. Indurationem benignam prae aliis a nobis proferri oportet: sunt enim molestiae similes, uti in scirrho, sed menstruatio mimis est inaequalis, nec tantis in pelvi crucientur doloribus aegrae, qui tactu non augentur: et desunt in hoc casu omnia dyscrasiae alicujus symptomata. Huc adhuc spectant: induratio calculosa uteri [3]), tumor inflammatorius uteri, steatomota, polypi, inversio uteri, abscessus lumbales, colica ischia-

---

dignosci potest transitus indurationis in scirrhum. Uterus durissimus, vesica urinaria ejusdem est indolis, crassissima nimirum et indurata. Labia orificii uteri solito crassiora, et corpuscula glandulosa, e quibus lympha ista suspecta exprimi potuit, (Conf. *v. Siebold Gebärmutterkrebs* p. 64.) iis inhaerent. Ovaria degenerata in massam scirrhosam, tubaeque fallopianae dextrae apertura in uterum ducens clausa. Omnia symptomata uteri scirrhi incipientis in viva observari potuerunt, quadraginta annorum erat nata, viduaque jam ex viginti annis: vitam vero lautam et luxuriosam duxisse videtur. — In mentem huc revocare velim casum, quem describit *van Doeveren* in spec. observ. acad. Lugd. Bat. 4. p. 83. in quo vesica urinaria sola erat affecta, quin uterus particeps esset ejusdem mali: aegraque mortua est. — De occlusis tubis vid. Ed. Sandiford observ. anat. path. Lugd. Bat. 1777. 4. lib. II. cap. 2.

[1]) *C. Wenzel über die Krankheiten des Uterus.* 1816. Fol. p. 56.

[2]) Observationem uteri ad summam magnitudinem permutati vide apud *Reg. de Graaf* opp. omn. Amstel. 1705. p. 189 · 191. — Similem casum invenies in Dict. de scienc. med. Tom. XXXI. p. 169.

Paraeus Chirurg. du Roy. Lyon, 1641. Fol. livr. 24. ch. 41. p. 616. — *Wenzel Krankh. des Uter.* p. 74.

[3]) De calculis in utero plura exempla collegit: *Wendelstadt Wahrnehmungen am medicin. und chirurg. Krankenbette. I. Bd. 2t. B. Osnabrück,* 1801.

tica, quin ipsa graviditas vera. [1]) Sed attenta omnium symptomatum observatio malum nos cognoscere docebit, nec confundere patietur cum aliis: et argumento nobis est, ex uno symptomate nullo modo concludendum esse, quam rem tot in medicina confirmant exempla.

§. 17.

Multa sunt momenta, secundum quae dividere possumus scirrhum et carcinoma uteri, quae species hujus morbi nobis praebent. Eandem et hic valere divisionem, de qua supra jam mentionem fecimus, nemo est, qui dubitet. Optima autem divisio e natura morbi eligitur, quae curae quoque instituendae aptissima est. Qua de causa binas esse scirrhi et carcinomatis uteri species, experientia nos docuit, quarum una sedem habet in membrana uterum ambiente et in glandulis, quae ei insunt: [2]) altera autem magis e vasis sanguiferis originem suum trahit [3]) (Cancer haematodes). Utrumque nos invenire, quae sequuntur, ostendent: observationem vero magis magisque adhuc affirmaturam esse hanc divisionem, sperandum a nobis est. [4])

§. 18.

Duae nobis patent viae, ut dignoscamus scirrhum et carcinoma uteri, quarum altera explorationem internam [5]) altera symptomatum haec mala comitantium amplectitur observationem. Medicus, qui ex symptomatibus tantummodo malum cognoscere studeat, in diagnosi sua nunquam certum habebit locum: ille vero, qui explorationem internam instituit, phaenomenis ex functionibus laesis nullo

---

[1]) Conf. *Krauel* de signis cancri uteri Dissert. Jenae, 1796. 4. pag. 21. „De signis, quibus differt cancer uteri ab aliis morbis."

[2]) Conf. *v. Siebold Gebärmutterkrebs.* p. 58.

[3]) Varietates quoque conf. quas Morgagni proponit de sed. et caus. morb. ep. XXXIX. §. 35. et 36.

[4]) Satis liquet ex iis, quae antea jam diximus, quid sit habendum de effato auctoris, qui sequentia proponit: „Sunt mihi indurationes, qui vulgo scirrhi non bene vocantur, cum nimirum uterus non sit viscus glandulosum, in quibus solus scirrhus oriri potest". *Schwarz* de utero degenerato Diss. Gott. 1790. 4. p. 4.

Roederer contra in diss. sua de uteri scirrho resp. Hirschfeld. Gott. 1754. dicit. „Quin utero cum reliquis glandulosis vel secernentibus visceribus peculiare quoddam scirrhorum formandorum onus impositum videtur." Opusc. med. quae ed. *Roederer* Gott. 1763. h. p. 252.

[5]) Conf. *W. J. Schmitt Erfahrungsresultate über die Exploration bei dem Scirrhus und Krebs und andern krankhaften Zuständen des Uterus*, *in Harleſs Jahrbüch. der teutsch. Medic. u. Chir. Nürnb.* 1813. I. Bd. S. 74. Etiam in *Schmitts obstetr. Schriften. Wien*, 1820. 8. S. 100.

nullo modo omissis, morbum summo cum jure cognoscet. Enarranda igitur a nobis sunt signa ex utraque via inventa, morbumque nostrum hunc in finem in tria stadia dividamus. [1]) Clariora quidem sunt signa stadii ultimi prioribus, quae fallacia interdum sunt, medicumque nisi omni qua potest attentione observet, in summam perducere possunt incertitudinem. Ex quo jam elucet, ipsas aegras tunc primum medici implorare opem, si secundum jam stadium, tertioque propius apparuerit. Causae a nobis perpendendae sunt, an tales fuerint, quae scirrhum uteri producere possent, constitutionemque aegrae accuratissime perscrutare nos oportet, quae nobis maximam interdum lucem afferre possunt. Initium hujus morbi nobis designat dolor quidam in pelvi modo punctorius, modo obtusus, nec diu persistens. Pondus in pelvim descendere conqueruntur aegrae, aliquid peregrini delabi observant, maximeque cum erecto corpore incedentes, minus supinae cubantes. [2]) Retentionem urinae observamus, quamquam sempiterna mingendi cupedo: emittitur vero vehementibus cum doloribus et pituitosa. Alvus obstructa est, modo dolorifica excretio et dura, modo copiosior et laxa: dolores adsunt haemorrhoidales cum signis hujus morbi perspicuis, partium pruritus, noduli etc. Inter coitum, quem amant in hoc stadio aegrae, dolorem percipiunt, palamque sensum suum perversum ostendunt. Menstruatio interdum irregularis cum fluore albo, qui tempus inter fluentes menses explet. Ceterum pulsus adhuc normalis est, interdum parvus, durus, celerque sentitur: sed perspicue febrem adesse contendere nequimus. Symptomata hysterica nonnunquam praecedentia vel accedentia observantur. Exploratio [3]) hoc in stadio instituta parum tibi ostendet: tumorem abdominis invenies, nec omni dolore carentem: uterus loco suo, quem occupat sanus, relicto paululum descendit, sed vix aliquid morbosi detegas, nisi duriorem aliquantulum vaginalem portionem, atque dilatatam: nonnunquam vero jam tubercula minora adsunt, quae vero magis stadium secundum indicant. [4]) Vagina calida et tumescens, albicante pituita obtecta est.

§. 19.

Morbus vero progressus ad stadium secundum si pervenerit, omnia symptomata antedicta augentur, ponderisque sensus in pelvi imprimis ab aegris accusatur: sanguinis fluxus e pudendis irregularis observatur, nec menses certum typum habent, ex quo tempore aegrae malum suum incipere contendunt. In mensibus nimiis colica quem dicunt menstrualis adest, summique dolores aegram

---

[1]) *Wenzel Krankh. d. Ut.* p. 108.

[2]) *Roederer* de scirrho uteri l. l. pag. 255.

[3]) Quam optime dividimus in explorationem externam et internam. Interna vero in eam per vaginam, et alteram per rectum dividitur.

[4]) Primordia scirrhi ex anatomica indagatione detecta vid. ap. *Morgagni* l. l. ep. XXXIX. §. 36.

discruciant, menstruatione finita qnoque perdurantes. Fluor albus sanguinis fluxum alternat, cui autem in principio nullus odor. Dolor in pelvi situ corporis erecto augetur, multaeque motiones eum excitant. Quies talibus exoptatissima. Coitus ob dolores acerrimos vix iniri atque sustentari potest, mulier autem in hoc stadio gravida fieri potest.[1] Signa consensualia in hoc stadio observari possunt: totus corporis habitus aliam habet formam, faciei color mutatus, concoctionis vires prostratae, nutritio laesa: vomitus saepius redit, somnus doloribus interruptus; languescunt pedes, ischiadi nervosae Cotunni similis dolor. Systema quoque nervosum in hoc stadio affectum esse, ex affectionibus hystericis, quibus magis adhuc miserae vexantur, percipi potest. Ita quoque capitis dolores, praecipue in intima ossis frontis regione, omni fere cogitatione aegrotam privant. Abdomen tensius reperitur, uterumque, si scirrhus ejus fundum petierit, supra ossis pubis symphysin sentire potest examinantis manus, corporis duri instar. In exploratione interna genitalia externa plus minusue tumentia apparent, materia mucosa obtecta, quam vagina majori secernit copia: orificium uteri tumidum, tensum, inaequale,[2] rugosum, rimosum, dilaceratum, nec calidum:[3] iis, quae nunquam uterum gerebant, clausum est.[4] Inter explorationem summi adsunt dolores, qui ea finita quoque perdurant. Supra vaginam durities quoque observatur iis in casibus, in quibus portio vaginalis sana est praesente malo, seu ubi ad tantam jam pervenerit extensionem scirrhus, ut totum fere uterum jam arripuerit. Si per rectum instituatur exploratio, fundus uteri dura massa nobis apparebit, dolorifica, major in ambitu suo: rectum interdum angustius est factum, tumens, tuberculis haemorrhoidalibus instructum, quorum causa in sangui. nis circulatione turbata quaerenda. Ichor e vagina tenuissimus effluit, foetidus,[5] colore plerumque viridi, mordax, qui interdum examinantem digitum et partes vicinas erodat. In hoc stadio fere omnes auxilium medicorum implorant, sed

---

[1]) Hujus rei multae existunt observationes Conf. *E. v. Siebold Journal für Geburtshülfe Frauenzimmer- und Kinderkrankh. III. B. 1. St. Frankf. a. M.* 1819. 8. *S.* 50 — 57.

C. G. Stricker diss. de uteri scirrho et carcinomate cum graviditate complicatis. Berol. 1820. 8.

Starks Archiv für die Geburtshülfe, III. *Bd.* 2. *St.* — *Wildberg* bibl. medic. publ. p. 99.

[2]) „Si in callum induruerint uteri, tum os asperum redditur." *Hippocrates* de morbis mulierum. lib. I. ed. Foes. p. 225.

[3]) Calor in initio morbi inter suspecta numeratur signa. „Mulieri ubi uteri indurescunt, et in pudenda prominent, inguina indurantur, ardorque in pudendis insit, cancri initia suspecta sunt." *Hippocrates* de natura mulierum.

[4]) „Quibus os uteri durum est, his necesse est os uteri clausum esse." *Hippocrates* aphorism. Sect. V. 54.

[5]) Abesse interdum hunc foetidum odorem ipse nuperrime observavi in muliere, scirrho manifesto affecta.

Eadem observav. *Morgagni* de sedibus etc. Epist. XXXIX. §. 33 et 35. et epist. XLVII. §. 25.

optimum medendi tempus jam praeterlapsum:[1]) pars indurata denuo inflammatione correpta humorum affluxu intenditur: singula tubercula magis adhuc elevata rumpuntur et materiam pessimae indolis emittunt, et stadium secundum tali modo ad finem perducitur.[2])

§. 20.

Praedominantur in tertio stadio dolores dirissimi, raro intermittentes, nec unquam ponderis sensus in pelvi silet.[3]) Haemorrhagiae perdurant, sanguinis coagulati massae excernuntur, quin imo scirrhosae partes proveniunt, ichorque majori copia excretus, qui variat cum haemorrhagiis, tantum habet odorem, quem adstantes ipsi perferre nequeant: adjacentes partes internae et externae corroduntur, nobisque indicio est, cancrum occultum in apertum transiisse. Symptomata quoque haemorrhoidalia augentur, turgent venae in abdomine et orificio ani. Glandulae inguinales intumescunt et obdurantur, salivatio oritur, aphthaeque obsident internam oris cavitatem, glandulae Meibomianae induresсunt, rubentque palpebrae: febris hectica adest, sudor et diarrhoea colliquativa, miserrima aegrorum forma, facies hippocratica, oculorum lux extincta, omniaque edocent medicum peritum, cancrum uteri adesse. Vomitus, cardialgia, appetitus plane depravatus, nausea, obstructio interdum alvi, tempore vespertino capitis dolor, omniumque symptomatum graviorum adauctio. Propria claudicationis species, oedema pedum: sensorium aegrarum laesum, tristitia et morositas summa. Animi deliquia saepius et per longum tempus durantia redeunt: convulsiones et spasmi invicem variant, dolor et ichor effluens augetur indies, excrescentiae fungosae expelluntur, quin uterus ipse excidisse dicitur. Mors tandem diu exoptata sequitur, inter febrem hecticam, haemorrhagias et convulsiones. Exploratio hoc in stadio interna instituta partes internas tali modo corrosas ostendit, ut vix discerni possint. Dolores inter explorandum summi: partesque tactu lenissimo jam sanguinem saniemque emittunt. Portio vaginalis, si sentiatur, brevissima facta, spongiosam, interdum mollitiem elasticam habet, plenam excrescentiis ejusdem indolis: aperta est, per quam in intimum uterum pervenire potest digitus examinans.

---

[1]) „Tum redit corpus ad suum medicum, tum anxie desideratur ipse, tum imploratur, ut veniat, accurrat, festinet, properet, advolet, in praesentaneum auxilium, cum saepe jam nullis fere remediis amplius locus est, et optima agendi occasio jam omnis elapsa." *J. M. Trilleri* de officio medici praesentibus contraindicationibus. Jen. 1701. 12. pag. 32.

[2]) Qui uteri sani descriptionem cum hoc statu comparare velit, evolvat Roederer opusc. supr. laud. pag. 143.

[3]) „*Beim Uebergange in das Krebsgeschwür bildet sich an dem scirrhoesen Theile zuerst eine kleine Stelle, welche die Oberhaut verliert, und gänzlich verzehrt zu werden scheint, vielleicht durch jene Verderbniſs selbst. Gleich vom Anfange an ist die Fläche des Geschwürs uneben, höckerig etc. v. Siebold Gebärmutterkrebs pag.* 85.

Parva initia cancri per anatomen observata vid. ap. *Morgagni* l. l. ep. XLVII. §. 27. et sqq.

Aliis in casibus excrescentiae sunt durae, vaginamque ipsam jam occupant. Easdem excrescentias et degenerationes per rectum sentias, et vesica urinaria si eodem malo affecta, per externam abdominis explorationem facillime detegitur, per quam etiam uteri statum miserum hoc in stadio percipi potest.

§. 21.

Quod attinet ad aetiologiam hujus mali, negari a nobis non potest, causas quasdam esse praedisponentes, ad quas numeranda est constitutio tenera, roborisque expers, sit congenita sive aliis morbis acquisita. In hoc quoque causa latet, cur de dispositione hereditaria multi loquantur medici, imprimis cum habitus scrophulosus ad hoc malum praedisponit.[1] Scirrhum et carcinoma non semper morbum esse localem, quem exstirpatione sanare possumus,[2] optime patet ex his, quae supra diximus. Omnis constitutio perversa est, cachexia propriae indolis nominanda est, vitiaque varia in aliis organis apparent eorumque functiones laedunt.[3] Quamvis multi sunt, qui dicant, mulieres inter quadragesimum quintum et quinquasesimum aetatis annum[4] maxime cancro laborare, tamen in pluribus observatum est hoc malum, quae vix ad trigesimum annum pervenerant.[5] Ceterum ad causas praedisponentes numeranda sunt momenta varii generis: affectus debilitantes, moeror, tristitia,[6] amor spe frustratus, Venus denegata[7] (incitamentum

---

[1]) Narrat *Boettcher* in dissertat. de inflammatione uteri cum subjuncta observatione de sarcomate uteri. Rintel. 1761. casum, „quo hic morbus a promatertera ad matrem et filiam transierit." Ceterum filia eandem ducit interdum vitam ac mater, causisque iisdem nocivis se exponit. Ita pater arthritide affectus filio divitias suas, vinaque sua relinquit exquisita, filiusque in eundem incidit morbum. — Affectio scrophulosa praedisponit ad illam scirrhi speciem, cujus sedes in glandulis: affectio autem haemorrhoidalis ad fungum haematoden magis spectat. Conf. *v. Siebold Gebärmutterkrebs. pag.* 69.

[2]) Conf. Dissert. med. sec. de nociva cancri inveterati novis exemplis demonstrata, in D. W. Triller opusculis medicis. Francof. et Lips. 1766. 4. Vol. I. pag. 46.

[3]) *Beschreibung einer vollkommenen Exstirpat. der scirrhösen nicht prolab. Gebärmutter. Von A. E. v. Siebold. Frankf. a. M.* 1824. 8. (*Aus dessen Journal IV. Bd.* 3. *St. etc.*) *pag.* 52. Plura adhuc ex historiis adnexis videbis.

[4]) Conf. *Dionis* cours d'operations de chirurgie. Bruxell. 1708. 8. demonstr. 9. p. 314. *Vogel* de cognoscendis corporis humani affectibus. 1792.

[5]) *Wigand in Hamb. Magazin für Geburtshülfe v. Dr. Gumbrecht und Wigand, II. St. p.* 155. de puella quatuordecim annos nata narrat, scirrho uteri affectam esse. Menstruationis vero in hac puella morbo impeditae quodam vestigia se ostenderunt, qua de causa pubertatis tempus jam attigisse aegram, patet.

[6]) Conf. *Hufeland's Journal* 9. *Bd.* 1. *St.* „*Ueber Scirrhus und Carcinoma der innern weiblichen Geburtstheile.*" *Von Joerdens pag.* 152.

[7]) Frequentissime ob hanc causam moniales hoc morbo corripiuntur, quod observarat *Dionis* in itinere suo per Galliae provincias in coenobiis singularum urbium. Vid. Cours. etc. dem. 9. p. 314. — Idem *Vesalius* testatur chir. magn. lib. V. c. 16. — Eandem rem *Kohlrausch* in Italiae coenobiis observasse, nescio quo legi.

tempore pubertatis necessarium): momenta autem incitantia eodem modo nocent: abusus Veneris, vita nimis lauta, quam ducunt mulieres luxuriosae, quae cessantibus mensibus haemorhagiis ex utero vexantur, quas sequitur scirrhus et carcinoma.[1])

§. 22.

Ad causas occasionales illae pertinent, quas mechanicas nominamus, nimirum quae in specie uterum afficiunt: in his saepissime dirissimi mali causam latere, experientia docuit. Sunt autem tractatio rudis in partu,[2]) laesiones uteri per pravas operationes, manibus ant instrumentis perfectas: eo facilius sequitur scirrhus, si instrumenta sunt pessimae conditionis; dilatatoriorum applicatio[3]) exploratio rudis, pessaria male conformata, materia nociva circumdata, seu applicata imperita manu:[4]) violenta solutio ovuli seu placentae,[5]) imprimis in placenta praevia: neglecta uteri repositio:[6]) ictus, lapsus, pressio violenta abdominis:[7]) remediorum stypticorum injectiones v. c. ad sanandum fluorem album, adstringentiumque usus externus ad inhibendam uteri haemorrhagiam.[8]) Quas laesiones natura nisi extemplo ulciscatur, post annos sequitur malum, causaeque

---

[1]) Huc uteri situs perversi, polypi ett. pertinent, quae mala uteri scirrhum, nisi tollantur, producere possunt.

Ceterum conferas „*Aphorismen über die Krankheiten des Uterus und der Ovarien*," *von Joerg. Leipz.* 1820. 8. *pag.* 19. *2tes Cap.* „*Von den nachtheiligen Einflüssen, welchen das weibliche Geschlechtssystem ausgesetzt ist.*"

[2]) Conf. *Mauriceau* observations sur la grossesse et sur maladies des femmes. Paris. 1695. 4. Observat. 387 et 418.

[3]) Rejecta sunt haec instrumenta ex nostri temporis apparatu obstetricio: manus solae huic negotio sufficiunt, caute et rite applicatae.

[4]) Conf. *Hunold* de pessariis diss. Marb. Cattor. 1790. 8. in sectione II. „de dijudicatione pessariorum." pag. 36.

[5]) *Ed. Sandifort* l. l. lib. II. cap. V. „de rudiori placentae protractione, indeque nata lethali matricis inflammatione."

„*Beobachtung einer scirrhösen Verhärtung der Gebärmutter, durch gewaltsames Lostrennen des Mutterkuchens entstanden. v. Rau" in v. Siebold's Lucina. V. B.* 1. *St. Marburg.* 1809. *pag.* 121.

[6]) „De plenaria orificii uteri prolapsi et in magnam molem extensi cum vagina relaxata concretione et nimia simul cum hac connexa vesicae urinariae crassitie" in Boehmeri observat. anatom. rarior. fascicul. alter. Halae. 1756. Obs. VII.

[7]) Hanc ob causum strophia ista rejicienda sunt, quae nimis premunt corpus muliebre: tantam enim nonnunquam vim exercent, ut omnia viscera in abdomine post mortem a situ naturali aberrantia inveniantur, cujus rei exemplum memorabile in eadem femina, de qua supra §. 15. not. 6. mentio facta est, vidi. Conf. *Sam. Th. Soemmering Ueber die Wirkungen der Schnürbrüste. M. K. Berl.* 1793. 8.

[8]) Conf. *Haller* disput. chir. select. Tom. III. Disp. 89. de uteri sarcomate.

nocentis obliti sunt medici.[1]) — Inter causas, quas dicunt dynamicas, menstruatio primum tenet locum. Uterus quolibet mense sanguinem emittat, pubertatis tempus posquam intraverit. Irritatio inflammatoria sequitur quamlibet in hoc labore suppressionem sive interruptionem, scirrhusque facillime his ex vitiis oriri potest. Eodem modo lochiorum retentio nocet:[2]) suppressio fluoris albi momentum quoque nocivum praebet, imprimis si corpus huic morbo adsueverit.[3]) Refrigerationes abdominis et partium genitalium, praecipue tempore menstruationis huc numerandae sunt: masturbatio, imprimis violento quodam instrumento rudique manu exercita quam maxime accusanda est, quae non solum mechanicum effectum exhibet, sed etiam systema nervosum et sanguineum quam maxime irritat. Ceterum irritamenta adhuc morbosa varii generis contemplanda sunt, imprimis arthritis et lues venerea, quibus adhuc adnumerandus est morbus scrophulosus.[4])

§. 23.

Quem dedimus de hoc morbo imaginem, tristissimam nobis praebet prognosin; miserrime perire debent plurimae, nec ullo remedio reservari possunt. Medicus insuper saepissime eo in stadio acclamatur, quum tantos jam progressus fecerit malum, ut ne lenire quidem possit aegrae statum miserum. In primo stadio, de quo supra mentionem fecimus, melior quidem est prognosis: attamen signa, e quibus salus speranda, admodum sunt incerta: facilior autem curatu scirrhus a causa venerea est, imprimis si mercurialia rite adhibentur. Mulier, quae nondum haemorrhagiis et doloribus gravissimis plane est debilitata, cujus constitutio nondum a veneno cancroso affecta, facilius curatur, quam ea, cui jam aliae corporis functiones alienatae sunt, cujus mammae et aliae glandulae infestatae parum spei nobis relinquunt. Eodem modo tubae, ovaria, ligamenta uteri lata et

---

[1]) Inflammationem omnes hos casus sequi, imprimis chronicam, patet „scirrhescit uterus, aliquando repente, sine evidenti causa: plerumque vero a phlegmone praegressa, quae nec soluta, nec in abscessum conversa fuit." *P. Aeginetae* Opera medica a. J. Quinterio versa. Lugd. Bat. 1551. fol. lib. III. cap. 68.

[2]) *Berger* de uteri morbis. Witteb. 1709. „Causa tumorum scirrhosorum uteri est mensium et lochiorum retentio."

[3]) Hufeland. l. l. pag. 150.

[4]) Plura adhuc momenta nociva in *v. Siebold's Gebärmutterkrebs l. l.* invenienda sunt. Ad quae numerari potest adhuc lactationis negotium neglectum, quo maxime sibi nocent mulieres, quae huic muneri, ceterum sanae, non satisfaciunt, vid. pag. 40 ejusd. oper. — Conf. Erasmi Colloq. familiar. Ulmae 1747. 8. „Puerpera" pag. 433. — Munditiem quoque corporis huc referendum esse censemus, Judaeasque ob hujus regulae observationem minus scirrho uteri corripi, adnotavit *El. de Siebold* l. l. pag. 52.

rotunda, vesica urinaria, rectum si correpta sunt, nulla remanet spes.[1]) Carcinoma vero apertum, febris hectica diu jam durans, sudores nocturni, dolores terribillimi, diarrhoea nunquam cessans, sanguinis corrupti odor foedissimus, haemorrhagiae perdurantes, vires aegrae omnino fractae, deliria, convulsiones, urina cum ichore e vagina seu ex ano fluens, pessima sunt signa, mortemque appropinquantem indicant.[2])

§. 24.

Duplicem viam tentavere medici, qua curare studuerunt hoc malum dirissimum, therapeuticam scilicet, sive remediis ex officina paratis, et chirurgicam. Remedia duplici quoque modo applicare possumus: interne ea porriguntur, et externe ad locum affectum applicantur. Indicationes ad varia morbi evolutionis stadia instituuntur, quae repeti superfluum esset: addere vero liceat, operationem chirurgicam ad nostrum usque tempus iis in casibus plerumque institutam esse, si malum jam carcinomatis formam attigerit.

§. 25.

In primo morbi stadio methodus antiphlogistica in plurimis casibus indicationibus optime respondet. Inflammatorium adesse statum, supra jam diximus, ad eumque compescendum cura dirigatur. Venaesectio, hirudines, emulsiones nitrosae, cremor tartari, manna, clysmata mucilaginosa, injectiones in vaginam, inunctiones etc. ad morbi indolem aegraeque constitutionem eligenda sunt, praecipue si inflammatione acuta laborent aegrae. Inflammationem autem magis chronicam praecipue mercurio dulci compescere studemus; inunctiones ex unguento neapolitano in regione pubis instituimus, cataplasmata et injectiones e cicuta adhibemus, hirudinesque applicamus ad dolores mitigandos, nunquam immemores ceteri aegrae status.

§. 26.

Praeterea singula symptomata sunt consideranda, inter quas maxime eminent congestiones sanguinis ad abdomen et pelvim, quem statum plethoram ab-

---

[1]) Conf. *Morgagni* l. l. epist. XXI. §. 29. ep. XXXVIII. §. 34. ep. XLVII. §. 8. *Wenzel, Krankh. des Uter. p.* 93.

Observarunt quidam medici, scirrhum in graviditate remittere post partum vero celerius crescere: forsitan eandem ob causam, quod graviditatis tempore omnis vita productiva alium in locum derivatur: hecticam imo febrem hoc tempore silere, notum est: quo autem finito celerius mors appropinquatur.

[2]) „Carcinomata irritationibus irritantur, et quo major vis adhibita est, eo magis: quidam ferro adusserunt: quidam scalpello exciderunt: neque ulla unquam medicina profuit: sed adusta protinus concitata sunt, et increverunt, donec occiderent. Excisa, etiam post inductam cicatricem, tamen reverterunt, et causam mortis attulerunt." *Corn. Celsus* lib. V. cap. 28.

dominalem vocant. Porrigamus purgantia antiphlogistica, cremor. tart., arcanum duplicatum, tartarum tartarisatum, aquasque minerales resolventes,[1]) quibus augetur vis resorptionis, systema nervosum incitatur, novaeque acquiruntur vires. Ceterum diaetam cautissime regulemus, tenuis sit, vegetabilemque magis sumat aegra, nec nutrientem cibum, aquam hauriat, corpus suum moveat, vitam degat laboriosam, animumque sibi conservet hilarem. Syphilis, arthritis et scrophulosis suam postulant curam, ac vitia menstruationis: uterus a situ normali aberrans reponatur, omnia nocentia externa amoveantur, v. c. pessaria.

§. 27.

Non omnes vero aegrae hoc in stadio auxilium nostrum petunt, sed scirrhum jam progressum nobis ostendunt plurimae, transitu ad carcinoma jam imminente. In hoc stadio a multis multa commendantur, quorum praecipua haec sunt remedia: radix Sarsaparillae, cicuta vel conium maculatum, calendula,[2]) Belladonna, aqua laurocerasi,[3]) sabina, aqua calcis, magnesia, calx antimonii, auri, limatura martis cum sale tartari, ferrum carbonicum,[4]) Mercurius[5]) et arsenicum.[6]) Remediis internis externa adduntur, injectiones e cicuta, calendula, Belladonna, sabina, aqua laurocerasi, solutione ferri acetici, mercur. sublimat. arsenico etc. Saepissime applicata remedia, sed frustrata plurimis in casibus spem.

§. 28.

Si autem scirrhus in carcinoma transierit, omni spe destitutae sunt aegrae. Febris hectica adest, quam rarissime compescere possumus, quum causae amovendae impares sumus. Organa corporis gravissima affecta sunt, constitutio ipsa depravata, uno verbo totus organismus mali est particeps. Cura sola palliativa aegras

---

[1]) Conf. *v. Siebold Gebärmutterkrebs. p.* 123.

[2]) *Westrings Erfahrungen über die Heilung der Krebsgeschwüre. a. d. Schwed. von Sprengel. Halle,* 1817. Conf. *v. Siebold Journal. III. B.* 1. *St.*

[3]) *Osiander in den Gött. gelehrt. Anzeigen. Jahrg.* 1816. 13. *St.* hoc remedium ad astra usque laudavit. Mitigat, sed non sanat.

[4]) *El. v. Siebold. Journal l. l.*

[5]) Novissimis temporibus a Dr. *Frank* commendatus est mercurius, cujus in hoc mali usum jam antea multi laudavere medici. Conf. *Graefe's und Walthers Journal III. Bd.* 4. *H. pag.* 679. „*Ueber einen Gebärmutterblutfluſs, welchem gewisse Metarmophosen und Desorganisationen der Gebärmutter, und vorzüglich der Vaginalportion zum Grunde liegen.*" Ejus methodus saepe Berolini a patre meo adhibita felicissimos eventus habuit, qui in clinici obstetricii berolinensis annalibus reperiendi sunt. Formulam *Frankianam* vid. l. l. pag. 684.

[6]) *Wenzel* l. l. pag. 187.

Berlinische Nachrichten von Staats und gelehrten Sachen, im Verlage von Haude und Spener, 1825. Nr. 189.

aegras paulisper sublevat, singula symptomata graviora lenire possumus, morti vero proximae eas arripere, nostrum non est.

§. 29.

Ut indicationi, quam modo nominavimus, palliativae scilicet, respondeamus, effluxus e vagina minuendus, ulcus cancrosum purgandum, et ne vicinas partes corrodat, cavendum est. Reproductionem autem prostratam sublevare studeamus quum remediis internis, tum diaeta nutriente, et princeps remedium hoc in casu est cortex peruvianus. Ut minuatur effluxus, injectiones per diem plures applicandae sunt e cicuta, succo expresso daucorum, nucum juglandum, sive corticis salicis decocto, aqua calcis, solutione ferri acetici, decocto chinae cum tinct. opii, acid. sal. dilut. Ceterum injectiones quoque mucilaginosae summam praebent utilitatem, purgant has partes, absterguntque impuritates.

§. 30.

Inter symptomata graviora tria inprimis summam nostram postulant attentionem, dolores scilicet vehementissimi, vomitus chronicus, et haemorrhagiae. Ut dolores mitigemus, opium summum nostrum est remedium; porrigimus opii puri granum unum usque ad grana duo pro dosi, tinct. thebaicae guttas quindecim, quam dosin etiam augere possumus: adsuescit natura remedio, incredibileque est dictu, quantum aegrae perferre possint. Ut noctem conciliemus quietiorem, pulvis Doweri porrigendus. Utilitatem quoque praebent aqua laurocerasi, aqua amygdalarum amarum concentrata cum opio. Cavendum modo est, ne opium obstructionem faciat, oleumque Ricini interponendum est hoc in casu. Si autem febris adsit vehemens, ardor, omniaque signa inflammationis, ab opio abstinendum erit, eligendique sunt hirudines, nitrum, salis tartari essentialis solutio in decocto mucilaginoso. Vomitus chronicus, qui omnes fere absumit vires, nutritionemque impedit, hyoscyamo, opio, pulvereque aerophoro compescitur.[1]) Haemorrhagias, quae maxime debilitant, subitoque vitam finire possunt, leniamus; china et elix. acid. Hall. opponenda sunt, quae hecticae quoque febri optime respondent. Haemorrhagia vero vehemens cum intraverit, tum situs horizontalis commendandus erit, elix. acid. Hall. tinct. op. et cinamom. porrigenda sunt, spongiaque cum alumine et gum. arabic. solutione infecta in vaginam immittenda.

§. 31.

Si breviter repetamus, quae de singulis stadiis hucusque dicta sunt, ex omnibus elucet, in primo stadio sanationem radicalem fieri posse, secundum vero

---

[1]) Belladonnam quam maxime laudat *El. v. Siebold*, *Frauenzimmerkrankh. l. l. I. Bd. p.* 672.

stadium difficilius compesci, quum autem scirrhus jam in carcinoma abierit, nullam spem manere.[1]) Morbus vero si in secundo stadio haeret, eo videndum est, ne scirrhus progrediatur, ulcusque carcinomatosum fiat: quod duplici methodo, diaetetica nempe et therapeutica perficere possumus. Aegra omnia vitet, quae uterum irritare possunt, coitum non exerceat mulier, quietem summam observet, cibum potumque irritantem fugiat, nec affectibus obtemperet gravioribus, hilaremque sibi comparet animum. Ceterum injectiones, de quibus jam supra locuti sumus, continuandae, mercuriusque ad methodum supra laudatam porrigendus. Mercurius vero si aliam ob causam apta non sit, tartar. tartarisati solutio cum extracto graminis et aqua laurocerasi eligenda.[2])

§. 32.

Quae medicamenta non sanant, ferrum sanat! Quod Hippocratis effatum in hoc quoque morbo medici ob oculos habuere, historiaque medicinae ex tempore praeterlapso exempla nobis porrigit uteri exsecti partim ob ignorantiam,[3]) partim cum voluntate. Opellae nostrae finem transgrediremur, si disquisitionem historicam hujus operationis lectori traderemus: nec sermo est de exstirpatione partiali, quae parum utilitatis affert, quum redeat saepissime hoc malum.[4])

§. 33.

Recentissimis temporibus exstirpatio totius uteri in Germania[5]) peracta est a *Sauter*,[6]) *El. de Siebold*,[7]) et *Langenbeck*.[8]) Semel eam perfecit *Sauter*, *El. de*

---

[1]) Vide *Hollerii* comment. in aphor. *Hippocrat.* 1632. 8. Sect. VI. aph. XXXVIII. p. 368.

[2]) *Wenzel* l. l. pag. 189. fonticulos ponendos proponit.

[3]) Conf. *v. Siebold, Lucina I. Bd. 3. Heft.*

[4]) De historia extirpationis uteri vid. in *v. Siebolds Beschreibung einer vollkomm. etc. l. l. p.* 51.

[5]) De exstirpatione in Italia facta leg. ap. *Graefe und Walther Journal V.* 3. *pag.* 474. *Geschichte einer* Extirpatio totalis uteri *von Paletta.*

Götting. gelehrt. Anzeig. 158. *St.* 1.*Oct.* 1825.

Berlinische Nachrichten von Staats und gelehrten Sachen Nr. 304. 1825. sub artic. *Rom*: „*Den* 25. *Oct. vollzog der Dr. J. Lud. Fabri in Fillatrano (Ancona) an einer Frau von* 50 *Jahren, die bereits* 8 *Kinder gehabt, die* extirpatio uteri *mit dem glücklichsten Erfolg.*" (?)

[6]) *Die gänzliche Extirpation der carcinomatösen Gebärmutter von Sauter. Constanz* 1822. 8.

[7]) Primum casum supra jam laudavi. Journal IV. B. 3s. St. Alterum vero mihi describendum tradidit, sequiturque ejus historia in dissertatione. Vid. infr. observat. tertiam.

[8]) Felicem casum in Bibliotheca sua nova I. B. 3s. St. p. 551. 1817. deposuit. Secunda exstirpatio et tertia infra in dissertat. mea in prima et secunda observatione continentur. Gratias quam maximas me agere praeceptori meo amatissimo ob veniam mihi permissam, has historias publico tradere, lubentissime confiteor, quum utriusque exstirpationis historia nondum divulgata esset, nisi brevissimum in patris Journal X. 3s. St. primi casus indicium huc numeres. Alterum amicissimo meo Dr. *Schroeder*, qui nunc Uelzae, in urbe Hannoverano, felicissime exercet praxin medicam, alterum vero, et quidem secundam, mihi, in clinico suo artem chirurgicam exercente, observandum tradidit praeceptor.

Siebold bis uterum exstirpavit, et *Langenbeck* ter hanc operationem perfecit. Omnes autem infaustum videre eventum, excepto *Langenbeck* uno in casu, qui vero ejusmodi erat, ut vix adnumerari possit ceteris casibus. *Sauter* aegram suam duobus mensibus praeterlapsis perdidit, quae usque ad mortem incontinentia urinae laboravit. Omnes fere per vaginam operationem perfecere; *Langenbeck* unum solummodo uterum per abdomen exstirpavit,[1]) regulas sectionis caesareae secutus. In felici casu, quem narravit *Langenbeck*, prolapsus uteri aderat, qui e vagina fere pendebat, vasaque sanguifera dissecta ligaturis circumdari potuerunt.

§. 34.

Accuratius hanc operationem perquirentibus videmus, in uno omnes consentire, prolapsum scilicet uteri optant, qui nisi jam adsit, *Osiander* suasit, arte eum perficere, methodumque hunc in finem proposuit.[2]) De difficultate, in intima pelvis parte operationem perficiendi, omnes igitur persuasi sunt, maximamque haec res partem confert ad infelicem operationis eventum. Nonne natura ipsa, prolapsus si adsit, significasset, se hoc organo non amplius uti posse, amovendique indicationem indicasset? Prolapsu vero non praesente operatio difficillime instituenda est, quod omnes fere viri confitentur, qui eam susceperant. Prolapsus autem artificialis difficillime perficitur, degenerato jam utero, ejusque collo cum vagina proximisque organis intime cohaerente. Solus igitur manet casus, uterum non prolapsum exstirpare, quod quidem fiere posse, recentiora exempla argumento sunt, attamen parum aemulationem nostram excitant ob infaustum eventum. Perquiramus causas, videamusque, cur eventus operationi optime semper perfectae non respondeat.

§. 35.

Ad ultimum plerumque stadium jam perventum est, cum aegrae operationem permittant, scirrhusque jam in carcinoma abiit, seu proximus est ulcerationi. Dolores fragrantissimi, effluxus odorque intolerabilis, desperatio summa miseras cogunt, operationem postulare, a qua nunc salutem optant. Remedia interna nullius frugis esse, sibi persuaserunt: ab illa sola vitam suam postulant. Sed proh dolor! ultimum quoque solatium eas fallit, nimis debilitatae sunt vires, omninoque eas hic in organismum impetus prosternit. Febris hectica eas jam dudum tenet, ceteris symptomatibus omissis: nec unquam medicus est, qui infitietur, optima opus esse nutritione et vegetatione ad quamlibet operationis ma-

---

[1]) Quam ingeniosissimi Langenbeck methodum propositam ante eum jam *Gutberlet* in *v Siebold* Journal I. 2. pag. 228. proposuit, sed nunquam perfecit.

[2]) Conf. *v. Siebold Frauenzimmerkrankheiten l. l. pag.* 680.
Aliam methodum, prolapsus perficiendi, vid. in *Hufeland's Journal XVI. B. 3s. St. p.* 123.

joris momenti sustinendam. In ipsa ullius partis amputatione haec perquiruntur: quanto magis in hac operatione! Major forsitan spes primum morbi stadium nobis praeberet, quamquam et huc multa a nobis perpendenda sunt obstacula: nemo enim totum uterum, nisi omnis ejus substantia sit affecta, exstirpabit. Nemo autem fines felicissime invenire posset, exemplaque tristiora hujus rei praesto nobis sunt.

§. 36.

Summus autem in muliebrem organismum impetus considerandus est, uterum, hoc tanti momenti organon, amovere, qui per totam ejus vitam tantas suscipit partes, cui nullam partium genitalium virorum comparare possumus. Ob oculos nobis sit ejus significatio anatomica et physiologica. Quale nervorum commercium, quale vasorum sanguiferorum rete! [1]) Menstruationem modo contemplemur, cui hoc organon obnoxium est, summique esset momenti observare, quomodo haec res exstirpato utero muliereque ad sanitatem perducta se habeat, qualem tendat viam natura huic negotio adsueta, summamque certe revolutionem in toto corpore inveniremus, quae non sine detrimento finiretur. Ipsam vaginae laesionem summum periculum afferre, ad mortemque perducere, ex partubus patet infelicibus, in quibus, vagina rupta, mors semper secuta sit, quin haemorrhagiam in talibus casibus accusare possemus. [2])

§. 37.

Operationis ipsius actum considerantes terribilia invenimus pericula, inter quae principem obtinet locum haemorrhagia interna, quam chirurgus difficillime sistere potest. Ligaturas applicare impossibile, causaque huc latet, cur omnes fere prolapsum sibi exoptent. [3]) Injectiones quidem factae sunt, spongiae impositae etc. nihilominus vero sanguinem emiserunt vasa, sectioque cavitatem pelvis sanguinis coagulis plenam ostendit. Operatione finita pulsus inveniuntur minimi, filiformes, haemorrhagiam indicantes. [4])

---

[1]) Vide supra §. 10.

[2]) Conf. „*Geschichte einer Zerreifsung der Mutterscheide unter der Geburt*" *von Klose in El. v. Siebold Journal I.* 1. *St. p.* 80.

[3]) Talis erat in illo casu prolapsus, quem *Langenbeck* l. l. ipse descripsit, mulierque Cassellae hodie vivit, summa gaudens sanitate.

[4]) „Vasa praeparantia spermatica utero, et vaginae plurima alia inseruntur, quae sine maximis doloribus, haemorrhagia et internorum viscerum consensu dilacerantur nunquam." *Th. Barthol.* Hist. Anat. Cont. 2. hist. 91. p. m. 292.

§. 38.

Aliud vero symptoma gravissimum antedictis adjungendum est, cujus natura nos adhuc latet: peritonitis scilicet mox aegram invadit.[1]) Ostenderunt sectiones, omne peritonaeum lympha illa satis nota obtectum fuisse, quae inflammationem illam sequitur, inflammatumque peritonaeum inventum est, enteritidemque ipsam effecerunt omnes istae substantiae, per vaginam illatae ad sistendum sanguinem. In vivis omnia hujus morbi symptomata adsunt, abdomen summam habet sensilitatem, nec minimum perferunt tactum. Hirudines appositi nil effecerunt, nec quid effecerunt emulsiones nitrosae, merc. dulc. etc. Vomitus in enteritide nullis remediis compesci potuit, omnis spes his in casibus abiit. Quomodo autem post operationem instituatur cura, quaestio summi momenti est. Magnum vulnus una ex parte, inflammatio sequens partium vicinarum, peritonitis, enteritis — altera ex parte summa virium prostratio, status aegrae hecticus, totius constitutionis affectio — qua via per hoc labyrinthum perveniat medicus, Ariadnae filum nisi habuerit? Nocet methodus antiphlogistica, hirudines, emulsiones salinae, mercurius dulcis spem fallunt, aegra moritur. Excitantia, moschus etc. qui porrigit, aegram eo citius ad mortem perducet. Nil nobis restat, nisi singula symptomata considerare, eaque, quoad possimus, lenire.[2])

§. 39.

Operatione vero feliciter perfecta, muliere per omnia eam sequentia pericula perducta ad sanitatis recuperationem, quis est, qui contendat, nunquam hoc malum redire? Nemo contendere potest, se omne scirrhosum et carcinomatosum amovisse, minimaque ejus pars relicta ad eundem reducit statum. Malum quoque toti constitutioni inhaeret, aliisque in organis redire potest, mortemque nihilominus adducit. Exemplo sunt exstirpatae mammae scirrhosae, una enim mamma ablata altera affecta est,[3]) aegraque diem obiit supremum.

§. 40.

Quibus omnibus perspectis indicatio palliativa princeps semper manebit, nisi malum oriens amovere potuerimus; abstinendum erit ab operatione, quae tristissimos nobis hucusque ostendit eventus. Primum semper tenebit locum

---

[1]) De peritonitide conf. „*Versuch einer pathol. therapeut. Darstellung des Kindbettfiebers, von El. v. Siebold. Frankf. a. M.* 1826. 8.

[2]) Optimam adhuc curam, in exstirpationibus uteri quoque adhibendam, proposuit *Schenk* „*Geschichte einer glücklichen Entbindung durch den Kaiserschnitt nebst Bemerkungen über diese Entbindungsweise*" *in v. Siebold's Journal B. V. 3. St. p.* 461.

[3]) Conf. *Triller* de nociva cancri inveterati exstirpat. l. l.

methodus illa *Frankiana*, cui jam multa exempla salutifera debemus, nec unquam cessent medici scientiam et salutem humanam hac ex parte locupletare. Melius mehercle! est, naturam rite et summa cum attentione observare, quam operationibus eam ad finem perducere, quamquam majoribus cum difficultatibus hoc esse conjunctum, satis satisque persuasum habemus. Labores nostri non semper iis, quos optamus, eventibus gaudent: medicique interdum accusantur ab iis, qui rem perspicere non possunt: at aequum rebus in arduis servare mentem, medicum conscia mens recti docebit, sibique in animum revocet, quae Divus Cous scripsit:[1]) „In arte medica, quae recte fiunt, plerumque quidem hominum vulgus non admodum laudat, saepe vero Diis attribuit. At si in aliquo repugnans natura, eum, qui curatur, interemerit, numen praetermittens, medicos incusat: et ego sane plus reprehensionis, quam honoris ex arte mihi consecutus videor. Neque enim quantumvis jam senex, ad artis medicae finem perveni, neque etiam ipsius inventor Aesculapius."

---

[1]) Epistol. ad Democritum. in ed. Foesian. sect. VIII. pag. 20.

„Felix quem faciunt aliena pericula cautum."

OBSERVATIO PRIMA.

C. E. W. e familia N. Hassa, triginta novem annos nata, statura mediocri, constitutione gracili, fibra laxa, crinibus flavescentibus, die quarto Januarii anni MDCCCXXV auxilium celeberrimi *Langenbeck* implorans, in hospitium chirurgicum, quod sub ejus auspiciis Gottingae floret, recepta est. Infantili semper sanitate perfecta, nec ullis morbis interrupta, se gavisam esse, affirmavit. Menses primo edidit anno aetatis decimo septimo, quin symptomata solito graviora hunc processum turbarent aut difficilem redderent. Regulares semper certo tempore redierunt menses usque ad primae graviditatis stadium. Anno enim vitae undevicesimo nupta est cum viro, eodemque anno gravida facta per omne graviditatis tempus bene valuit, puerumque sine magnis molestiis phaenomenisque naturalibus aberrantibus peperit, quem per duodecim fere menses ipsa lactavit. Eodem modo decem infantes enixa est, puerque natu minimus duos annos et dimidium nunc numeraret, nisi graviori quodam morbo ante decem annos occubuisset. Omnes partus natura ipsa perfecit, quin manu medici obstetricii aut instrumentis opus fuisset, eodemque modo per stadium puerperii et lactationis transgressa est aegra. Aliis quoque morbis se laborasse, exceptis minoribus illis aegritudinibus, quibus omnes fere homines obnoxii sunt, contendere non potuit. Ante tres abhinc menses de profluvioribus mensibus conquesta est aegra, simulque dolorem in regione pubis, supra symphysin, sed in interiore pelvis parte se percipere, medico suo, quem consultaverat, dixit. Per quatuordecim dies sanguinem e vagina emisit, summisque doloribus per hoc tempus cruciata est aegra; remisit per aliquot dies sanguinis copia, sed nunquam omnino cessit: tempore vero, quo menstruationem suam exspectavit, crebrior erat effluxus, majoresque dolores sentiebat. Appetitus hoc tempore nullus, summa virium prostratio, pedes languescentes: lectum suum relinquere non potuit misera, somnus eam fugit, et febri ad vespertinum tempus magis exacerbante se correptam esse ex duobus mensibus, aegra contendit. Medicus, quem in auxilium vocaverat, remediis internis et injectionibus eam sanare studuit, sed quae fuerint haec remedia, comperire non potuimus, quum formulas nobis non tradidisset aegra, nec historiam nobis

misisset medicus. Nullum fere ex ejus remediis auxilium percepit, nec status sui miseri levamen; dolores quum indies crescerent, magis magisque eam pungerent, latus dextrum inprimis nunc occupantes, nec unquam effluxu e vagina sanguinis et ultimo mense saniei, quae odorem foetidum edidit, cessante: Gottingam se contulit, hospitiique chirurgici Directorem consuluit. Summus erat pallor faciei, oculorum lux extincta, propriusque totius faciei collapsus. Pulsuum nonaginta — centum ictus numerari potuerunt debiles, sudores manuum pedumque aderant, nocturno tempore ceterum quoque corpus occupantes. Ad vespertinum tempus febris augebatur, ad matutinum paululum remittebat. Nullus appetitus: sitis vero supra modum adaucta, alvi obstipatio, ita, ut quolibet die secundo clysmatibus opus esset, quibus cybala durissima igni quasi tosta emitterentur. Exploratio die quinto Januarii instituta saepiusque postea repetita haec nobis ostendit: abdomen erat rugosum, tactu dolorificum, inprimis in latere dextro. Calor auctus percipiebatur, quippe quem manus examinans aliquot tempus post explorationem adhuc sentiret. Exploratio interna vaginam amplificatam esse, magnamque mucosae cum sanguine commixtae materiae secernere docuit. Digitus examinans, priusquam ad uterum ipsum perveniret, ad utrumque latus vaginae duas protuberantias scirrhosas sentiebat, quae valvarum instar aditum ad uterum custodiebant. Uteri autem orificium in media pelvis apertura ita degeneratum erat, ut vix discerni posset. Massa erat inaequalis, tuberculosa, mollior; digitusque per eam inductus parietem internum uteri tuberculis ejusdem indolis obsitum inveniebat. Summi dolores inter explorandum aegram tenebant, sanguinisque et saniei copia, foetorem pessimum dispergens digitum obducebat. Per rectum dura sentiebatur massa, quae sub tactu magnopere dolebat. Ex his autem omnibus quae observabantur, morbum uteri scirrhum esse, elucere videbatur, sed jam carcinomatis stadium eum attigisse, satis satisque cognoscebatur. Remediis internis ad aegrae sanitatem reducendam frustra adhibitis, nulla alia via ad eam sanandam quum pateret, exstirpatio totius uteri scirrhosi a celeb. *Langenbeck* concludebatur. Ut autem dolores mitigarentur, tinctura thebaica miserae porrigebatur, guttisque hujus remedii triginta — quinquaginta pro dosi opus erat, ut quietem per aliquot horas recuperaret. Methodum vero operationis celeb. *Langenbeck* longe aliam eligebat, quam ii adhibuerant, qui ante eum totius uteri exstirpationem susceperant. Sectionis caesareae instar se uterum exstirpaturum esse, nobis communicavit, dieque XI. Januarii, praesentibus Professoribus Gottingensibus, viris illustriss. *Conradi*, *Marx*, *Mende* et *Osiander*, magnaque discipulorum adstante corona hora IX. matutina operationem suscepit, has in ea perficienda regulas secutus: postquam clysmatibus jam antea purgatum esset intestinum rectum, talis aegrae situs ordinabatur, ut pelvis ejus cetero corpore altior jaceret. Catheter immittebatur, qui amanuensi dirigendus commendabatur, cujus curae simul instrumentum illi simile, quod vocant „Gorgeret" in rectum immissum committebatur. Operator ad sinistrum latus aegrae, tali modo jacentis, adstans, scalpello incisionem in linea alba a symphysi pubis ad regionem, quae duos fere digitos infra

fra umbilicum est, faciens, musculos abdominis dissecuit usque ad peritonaeum, quod tunc lege artis eodem aperuit scalpello. Alius amanuensis manu sua sinistra per aperturam intrante intestina retinebat, alia autem manu vesicam urinariam ad symphysin ossium pubis retinere studebat. Operator sinistra manu uterum arripuit, forficemque solito longiorem, quam hunc ad finem destinatam perfici ab instrumentorum artifice jusserat, manu dextra immisit in cavum abdominis, ita, ut eam clausam in digito suo induceret; apertoque instrumento dextrae partis ovarium primo dissecuit, hanc incisionem secutus uterum omnino exstirpavit, simulque scirrhositates in vagina incisionibus sejunxit, uterumque, quem maxima ex parte jam resolverat ab organis vicinis, fortiter e cavo trahens, ita ut ab omnibus perspici posset, scalpelli ope a cohaerentibus adhuc partibus dissecuit, et exstirpationem tali modo finivit, quae per septem partes sexagesimas horae duraverat. Nullus e vagina sanguis provenit, nec intestinorum prolapsus secutus est, quamquam digitus e cavo abdominis in vaginam immitti et tali modo ab adstantibus e vagina proveniens observari posset. Suadente Professore *Mende* vulnus emplastri adhaesivi striis longissimis conjungebatur, spongiaque in vaginam immissa et fascia abdominali imposita aegra in lectum suum reponebatur. — Uteri exsecti consideratio diagnosin veram fuisse affirmavit. Eroserat cancer totum fere uterum, inprimis ejus partem dextram. Praecipue uteri os profundis et discoloribus ulceribus erat exesum, partemque vaginae eodem malo correptam simul cum exsecto utero cohaerere, satis distingui potuit. — Summa debilitas post operationem invaserat aegram, facies statim magis magisque collapsa: pulsusque celerrimi et parvi per totum diem sentiebantur. Infusum chamomillae porrigebatur ad sitim compescendam. Per totum diem de doloribus in regione pelvis conquerebatur aegra, et ad vespertinum tempus sudores frigidiores in capite pectorisque regione apparebant. Hora vesperis nona pulverem Doweri hausit: per noctem vero nullus somnus: sudores perdurantes, dolores summi. Urinam aegra nondum a tempore operationis emiserat.

XII. Jan. matutino tempore aegra moschi pulverem pro dosi grana duo sumsit, sed vomitus eum statim rejecit, qui per diem saepius redierat, nec ullis remediis compesci potuerat. Pulsus tanta erant celeritate, ut vix possent numerari. Catheter applicatus, urinaeque copia parva emissa. Abdomen erat tensum, dolorificum, calidum; augebatur summa debilitas, sudores frigidissimi, facies hippocratica, temporeque vespertino hora quinta extinguebatur misera. — Sectio cadaveris die XIII. Jan. multis medicinae studiosis praesentibus manu amicissimi *Ad. Reufs* med. Doct. Moeno-Francofurtani, qui nunc artem medicam felicissime in patria sua exercet, instituta haec nobis ostendit: Ventre adaperto peritonaeum lympha quadam coagulabili erat obtectum, quae etiam intestina inter se conjunxit, et in longiora fila digitis distendi potuit. Intestina ipsa erant inflammata, coloris rubicundi, inflata, inprimis tenuia. In pelvis cavo magna sanguinis coaguli copia detegebatur, praecipue in parte dextra. Vesica urinaria gangrae-

nosa, facillime dilaceranda, quae conditio pracipue in fundo erat animadvertenda. Partes vero scirrhosae omnes erant exsectae. Cetera organa, hepar, renes etc. pulmones et cor omni statu pathologico vacabant.

OBSERVATIO SECUNDA.

Ch. S. Hannoverana, viginti octo annos nata, serva, statura mediocri, crinibus fuscis, recepta est in hospitium chirurgicum Gottingense die XX. Julii MDCCCXXV. Nullos graviores morbos se in infantia esse perpessam, sanamque se semper fuisse usque ad annum decimum octavum, quo menses primo apparuissent, quin molestias inde vel dolores sentiisset, aegra contendit. Regulares semper fuerunt usque ad annum aetatis undevicesimum, quo gravida facta est. Graviditas, partus, puerperium nil a naturali statu aberrantis nobis ostendere: infans autem post octo dies est mortuus. Servae postea munere fungebatur aegra, et sanitate optima semper gaudebat. Anno aetatis vicesimo quarto secunda vice uterum ferebat, per graviditatis vero tempus non eadem ac in prima fruebatur sanitate: quippe quâe doloribus colicis cruciabatur, febrique rheumatica laborabat. Partum quoque anteriore difficiliorem fuisse, aegra nobis affirmavit, medicumque obstetricantem (in aedibus obstetriciis Gottingae sub aupiciis beat. *Osiander* tunc tempore florentibus recepta erat) instrumentis usum esse, quorum ope partus infantis, cujus pondus novem fere libras attingeret, finiretur. In puerperio quoque aegre se tulisse, novemque fere dies obstructam fuisse, sed nullam accepisse medicinam, nobis narrabat. Postea nutricis munus suscepit, duosque infantes lactavit per annum, quo tempore menses quoque redierunt. Quo munere finito officiis servilibus, ut antea, fungebatur, vitamque ducebat satis contentam, nec ullis gravioribus calamitatibus turbatam. — Fest. autem nativitatis Christi tempore anni MDCCCXXIV doloribus regionem pelvis permigrantibus et subinde redeuntibus cruciabatur, qui praecipue latus sinistrum pungebant, simulque menstruationem suam, quam tunc temporis exspectarat, creberrime fluxisse, aegra contendit: quippe quae per duas horas die secundo menstruationis magnam sanguinis copiam emitteret. Ex hoc tempore dolores indies creverunt, effluxusque e vagina, fluoris albi primo instar, mox autem odorem foetidissimum spargens secutus est. Summa virium prostratio apparuit, appetitus deficiens, nutritio abolita, ex cibis gravibus sumtis summa molestia, obstructioque alvi. Haemorrhagiae saepissime redierunt, effluxus vero e vagina nunquam cessit. Massae interdum coaguli sanguinis expellebantur. Dolores, inprimis nocturno tempore vexant aegram, somnumque exoptatissimum fugant. Pulsus parvi et frequentes. — Die XXI. Jul. instituta exploratione haec detegebatur partium conditio: abdomen

erat rugosum, praecipue in latere sinistro dolorificum, imprimis quum manus hanc partem fortius premeret. In exploratione interna per vaginam orificium uteri infra mediam aperturam sentiebatur: apertum erat, ita, ut digito usque ad os iternum perveniremus. Pollicis unius longitudinem habuit, digitoque circumscribi potuit, crassiore autem substantia, multisque instructum dilacerationibus. Pars vaginae, utero propior, sana sentiebatur, uterusque in eadem parte nil morbosi ostendebat: at in sinistra parte destructiones inveniebantur in utero et in vagina. Durae erant et tuberculosae degenerationes, et limbo scirrhoso intime cohaerebat uterus hac parte cum vagina. Foetidissima vero sanie obtegebatur digitus examinans, nullo autem sanguine commixta, Per rectum corpus durum sentiri potuit, partesque singulae scirrhosae in fundo uteri percipiendae fuerunt. — Aegram scirrho uteri laborare, ex omnibus signis, quae exploratione magis magisque affirmabantur, elucebat. Et hoc in casu operationem se instituturum esse, celeb. *Langenbeck* nobis aperuit, sed methodum per vaginam se electurum esse, praedixit. Ut autem manum suam facilius posset inducere, majusque operationi perficiendae haberet spatium, perinaeum scalpello se incisurum, decrevit. Aegra pulverem accepit Doweri pro dosi gran. decem cum sacchari parte aequali. Quem vero quum vomitu respueret, in eo mutata est formula ut sequens esset praescriptum: ℞. *Opii puri gr.j. Pulv. Ipecac. gr.ß. Tart. vitriol. gr. viij.* quod optime sumere potuit, quolibetque tempore vespertino hanc dosin hausit, noctesque inde quietiores habuit. Per dies oleum Ricini accepit, ut obstructio alvi tolleretur, quod effectum exoptatum praebuit. Horis autem postmeridianis summis cruciabatur doloribus, qui largissimis tinctur. thebaicae dosibus vix leniebantur. — Die V. Augusti hora matutina octava praesentibus Professoribus *Conradi*, *Marx*, *Mende*, discipulorumque magna caterva operatio instituebatur, clysmatibus antea alvo laxata, vinique cum tinct. theb. aliquot guttis portione ab aegra hausta. Aegra talem habuit situm, ut pelvis cetero corpore altior esset; femora extendebantur, vagina et orificium ani in margine mensae erant posita, ita, ut situs operationi lithotomiae fere responderet. Vesica urinaria catheteris ope vacuefacta, operator scalpello convexo frenulum et perinaeum incidit, ut manum suum facilius posset inducere. Qua sinistra immissa, perinaeum levi adhuc scalpelli incisione dilatabatur. Primam incisionem ope hysterotomi Osianderiani in dextra parte vaginae perfecit operator: digitis enim manus sinistrae in pariete posteriore vaginae inter rectum et uterum immissis, ubi plicae semilunares sitae sunt, peritonaeum illo hysterotomo incidebatur, et ope forficis hoc vulnus incisionibus ad vesicam urinariam versus dilatabatur. Fundus uteri digitis comprehendebatur; manus vero dorsum ad cavum abdominis dirigebatur, ne intestina prolabi possent, quae autem nunquam sentiebat operator. Fundus uteri fortius attrahebatur ad regionem recti, quo ligamentum latum dextrae partis tendebatur facillimeque discindebatur. Forcipem, quali in educendis calculis urinariis utuntur chirurgi, aliquoties applicabat, timens, ne uterus manibus suis effugeret: non opus erat hoc instrnmento, manus sola sufficiebat. Uteri nunc

conjunctio inter vesicam et fundum discindebatur, fortiter attractus, ut jam extra vaginam conspici posset, omnino a partibus cohaerentibus solvebatur. Operatio per quadrantem horae duraverat. Operatione finita, spongiaque cum aceto in vaginam immissa, aegra in lectum suum reponebatur. Pulsus erant minimi, vix percipiendi; virium summa prostratio, aegraque de magnis doloribus conquerebatur. Post dimidiam horae pulsus pleniores reddebantur, aegraeque vinum cum aqua commixtum porrigebatur.

Hora XI. Portio Riverii aegrae ordinabatur: ℞. *Sal. tart.* ʒj. *Sat. suffic. quant. acet. add. Decoct. Alth.* ℥vj. *Syrup. Rub. Id.* ℥j. *M. D. S. Alle 2 Stunden einen Eſslöffel voll. Syrup. Rub. Id.* cum aqua commixtus potui serviebat.

Hora I. Dolores in abdomine summi. Spongia in vagina immissa rubicunda videbatur, quam ob causam injectiones ex aceto applicabantur, aliaque imponebatur spongia.

Hora V vespert. aegra nobis dixit, se doloribus in regione ventriculi laborare, qui ad scapulam sinistram usque permearent. Simul alvi laxatio secuta est, quae solummodo parca erat, quum aegra eam fortiter adjuvare non posset.

Tempore vespertino hora VII. dolores in ventriculi regione disparuerant; at in abdomine dolores et calor perdurantes: tactu dolorificum erat abdomen, inprimis in regionibus hypochondriacis. Extremitates erant calidae, pulsus frequentes et parvi.

Hora VIII pulverem Dow. accepit aegra, quem sequebatur somnus per horam. Dolores in abdomine minuebantur paululum. Saepius urinam emittebat aegra sine ullis molestiis.

Die VI. Aug. hora matutina III emulsio aegrae ordinabatur: ℞ *Amygdal. dulc. rec. excort.* ℥vj. *Amygd. amar. rec. exc.* ʒij. *fiat terend. cum Aq. ceras. nigr.* ℥viij. *l. a. emulsio in qua solv. Extract. Hyoscyam.* ʒß. *Sacch. alb.* ℥jß. *M. D. S. Jede Stunde 1 Eſslöffel voll; auch unter das Getränke.* Pulsus erant paululum pleniores, sed faciei collapsus, sudor in facie, abdominisque dolores adaucti.

Hora XI idem fere status, sed vox hebetior.

Vespert. tempore abdomen tensius, dolorificum inprimis inter umbilicum et spinam ossis ilei superiorem anteriorem sinistram. Hirudines appositi viginti, oleoque Hyoscyami cocto calido inunctus venter. Dolores hirudinibus parum mitigabantur, inunctiones vero levabant paulisper aegram. Pulv. Dow. hausto dormiebat, at ructibus et vomitu subsequente hora XI nocturna e somno excitabatur. Tinct. opii simplicis guttae aliquot huic symptomati opponebantur, at redibat, et pulvere aerophoro compescebatur.

Hora V matutina VII. Aug. extremitates frigescebant, pulsus minimi faciesque hippocratica.

Hora VIII frigus marmoreum extremitatum et faciei, ejusdemque indolis sudores. Respiratio anxia; pulsus vix percipiebantur. Liquor. min. anod. Hoffm. guttae in infuso chamomillae interdum porrigebantur, inunctiones ex oleo Hyoscyami cocto, quibus miserae dolores paululum mitigarentur, institutae. Ad me-

ridiem vox ejus paulatim debilior; summa anxietas, et hora XII et dimidia mors sequebatur.

Die VIII Aug. sectio cadaveris a me suscepta coram commilitonibus meis haec nos docuit: Abdomine aperto internus peritonaei paries inflammationis manifestae signa non exhibuit, nec enteritidem adfuisse, contendi potuit. Attamen et in hoc casu ista lympha coagulabilis, inflammationis productum, omnes partes obtexit, intestina inter se conjunxit, et in cavo abdominis, intestinis remotis, ejusdem fluidi magna adfuit copia. Neque rectum neque vesica urinaria erant vulnerata, vesica autem solito erat crassior, nigrumque habebat colorem. In cavitate pelvis quam maxima erat sanguinis coagulati copia, cum illo exsudato commixta. In parte sinistra, in peritonaeo, quod musculum psoam ambit, insidebant sex corpora hydatidosa, magnitudinem nucis juglandis attingentia. Vesica fellea calculis erat oppleta, hepar autem normalem habuit conditionem, Cetera vero organa et abdominis et thoracis sana reperiebantur.

OBSERVATIO TERTIA.

Fr. B. triginta annos nata, marita, constitutione tenera, temperamento sanguineo, oculis crinibusque fuscis, statura mediocri, Berolinensis. Matrem suam annos quadraginta quinque natam amisit, uteri scirrho laborantem. A teneris sanitate perfecta fruita nec scrophuloso vel alio morbo cachectico erat affecta. Anno aetatis decimo septimo menses primo fluere incipiebant, nec unquam usque ad aetatis vicesimum secundum ulla in iis erat irregularitas majoris momenti. Hoc anno nupsit, et quinque in matrimonio infantes peperit. Primo felici partu gemellos edidit, fluorque albus benignus inde coepit fluere, qui nunquam postea cedebat. Post secundum partum in inferiore abdominis parte interna dolores perdurantes sentiebat, et intumescentiis haemorrhoidalibus, quae nonnunquam majores percipiebantur, vexabatur. Postea quarto mense abortum fecit; nova autem post quatuor hebdomadas secuta est conceptio, anno MDCCCXXI. Doloribus autem cruciata in regione inguinum et ossis sacri, affectionibus haemorrhoidalibus non cessantibus, auxilium eodem anno in clinico obstetricio regio, cui pater meus praeest, imploravit, et prolapsum parietis anterioris vaginae et uteri retroversionem adesse, exploratio docuit. Quo vitio remediis aptis liberata feliciter infantem peperit, tempusque puerperii eadem egressa est fortuna. Decem autem mensibus praeterlapsis eodem cum malo in clinicum rediit, quod iisdem, quibus antea, cessit remediis. Anno MDCCCXXIV ultimum partum sustinebat, ex eoque tempore affectionum series incipiebat. Redibant dolores, quibus jam

antea vexabatur aegra, majores in intima pelvi, quolibet motu adaucti: anxietas summa debilitasque eam tenebant: leucorrhoea, natura benigniore mutata, partes vicinas corrodebat, Infante ab uberibus remoto menses redibant, octo quolibet mense dies fluentes, ultimis autem his mensibus dolorem excitantes, paulatimque parciori copia apparentes, laticique seroso similiores. Ultimo quoque tempore massae cum humore puriformi foetorem spargentes sanguineque commixtae e vagina emittebantur. Doloribus indies adauctis misera ad clinicum regium, ubi jam saepius auxilium invenerat, se convertit. Committebatur aegra a patre meo Doctori *Ebermayer* Guestphalo, (cujus historiae de aegrae statu et operatione etc. conscriptae, quam in clinici annalibus reliquerat, multum in hac observatione elaboranda debeo) statusque aegrae disquisitio haec ostendebat: Omni tempore aegra doloribus acerrimis vexatur, quos comparabat cultri incisionibus seu doloribus ex carbone ardente perceptis: sedes in regione uteri et inguinum; nonnunquam etiam abdominis altiorem partem tenent, animique deliquia interdum sequuntur. Ponderis sensus in pelvi non deest, saepiusque per diem mingendi cupedo, emissio vero urinae dolorifica, obstipatio alvi, dolores inter alvi laxationem, omniaque signa haemorrhoidalia. Per noctem sudor, interdum frigus, calorque subsequens: post pastum faciei rubor, lauguedo summa, artuumque debilitas. E vagina mucus inodorus albus excernitur, commixtus cum humore nonnunquam foetidi odoris, massisque sanguineis. Lingua obtecta, marginibus rubentibus. Pulsus parvi subduriusculi. Sitis non adauctus. Coitum absque doloribus exercere potest. Mensibus intrantibus qualibet hebdomade tertia summum attinent dolores gradum. Mammae sunt flaccidae, nec in ullo loco induratio observatur. In exploratione instituta in abdominis superficie externa nullus gravior dolor tangente manu excitabatur, nisi supra ossium pubis symphysin, quem locum si manu fortius premeres, dolorem sentiebat aegra: nullus autem tumor in tota abdominis superficie percipiebatur. Digitus interne per vaginam examinans eam laxam reperiebat, extensam, calidam, nulloque obtectam muco. Portio vaginalis in media apertura, pollicis longitudinem attinens, antrorsum paulisper conversa toto digito circumscribenda. Durissima est, crassa, calida, sicca, minimo autem tactu dolens. Uteri os transversum habet hiatum, protuberantiis et dilacerationibus, quales inveniuntur in iis, qui jam peperere, instructum est, digitusque immitti potest. Fundus uteri, cujus volumen non adauctum videbatur, supinatus paulisper detegitur; in posteriore parte praecipue minimo jam dolet tactu. In recto sacci observantur haemorrhoidales et intumescentiae ejusdem indolis. Quibus omnibus rite perpensis aegram uteri scirrho laborare, et ex hoc malo omnia provenire symptomata, elucebat. Indurationem autem portionis vaginalis non esse benignam, sed scirrhosam, facile dignosci potest ex longo tempore, quo aegra hoc malo jam vexabatur, remediis omnibus pertinaci quodam modo resistente, magis magisque ad vicinas partes serpente, summisque doloribus miseram cruciante. Induratio benigna nunquam tam diu perdurat, menstruatione rite fluente evanescit, nec tantam habet duritiem, nullum inter explorationem dolo-

rem excitat, nec in pelvi sensum propriae indolis affert. Uterum vero ipsum eadem correptum esse affectione, dolores ostendunt, si attingatur, et effluxus e vagina. Quae vero diagnosis magis adhuc confirmatur, si ad causas nocivas oculos nostros convertamus. Dispositionem adesse adnatam ex eo elucet, quod ejus mater eodem morbo correpta diem obiit supremam, aegraeque constitutio in dijudicando hoc statu consideranda est. Post primum partum prolapsus vaginae, retroversio uteri, leucorrhoea oriebantur. Remedia topica, inject. spongiae immissae, situs portionis vaginalis antrorsum, perversa uteri forma etc. satis irritabant has partes, nec ullum perrmittunt dubium, in hac irritatione sempiterna causam mali latere. Plethoram abdominalem insuper si consideres, affectionibus haemorrhoidalibus satis manifestatur. Rebus sic se habentibus et operatione ab aegra iterum iterumque flagitata, omnibusque rebus feliciter confluentibus, constitutione nimirum aegrae in nulla functione graviter laesa, partibus vicinis uteri nulla mutatione scirrhosa correptis, operationem se instituturum esse, pater decrevit, ex hac sola sanitatem miseram recuperaturam esse sperans, quae, operatione omissa, certae morti effugere non potuisset. Hilari animo hunc nuncium accepit aegra, nec dissuadentibus quibusdam hominibus obtemperans in operatione sola omnem suam exspectavit salutem. Quam ob causam menstruationis tempore superato, quae summos aegrae dolores excitavit, lectoque eam tenuit, dies vicesim. quint. Jul. operationi destinabatur.

Die XXIV. Clysmata adhibebantur et sal neutralis quidam, ut primae viae purgarentur. Nox quieta.

Die XXV. Hora matutina pater cum assistentibus Dr. *Scheibel* et *Hoffmann*, discipulorumque quibusdam ad aegram se contulit, omniaque ad operationem perficiendam erant parata. Apparatus instrumentorum et medicaminum idem erat, quo primo in casu usus erat pater. (Conf. *Beschreibung einer vollkommenen Exstirpation etc. l. l. pag.* 34.) Eundem accepit situm aegra, antea guttis triginta aquae laurocerasi cum decem gutt. tinct. op. simpl. haustis. Easdem regulas secutus est pater, quam in casu modo laudato, iisdem quoque usus instrumentis. Cultro Savignyano postquam vagina lateralis erat disscissa, per portionem vaginalem acu argenteum curvatum flexile, acumine chalybeo instructum, cui filum cera obductum inhaerebat, transfigebatur, ne uterus, ut in primo casu (v. p. 38) retrahi posset. Operationem si in tres actus divideres, primus erat vaginae discissio ab utero; qua peracta acu immittebatur: tertia vero actione ligamenta lata et rotunda forfice discindebantur, et uterus solutus e pelvi et vagina extrahebatur. Magna cum fortitudine perferebat operationem aegra, quae viginti quinque minut. spatium expleverat, eo tempore excepto, quo locus aptissimus ad cultrum Savignyanum inducendum quaereretur. Sanguis effluens quinque — sex unciarum copiam attinebat, exstirpatione vero finita facillime sistebatur. Tamponationes sic dictae solutione aluminosa perfusae in vaginam immittebantur, carpia insuper indita, fasciaque Tformi imposita, aegra in lectum suum reponebatur. Mirum in modum ex eo tempore, quo vagina incidebatur, ejus facies mutata: quippe quae ante operationem summa con-

stantia esset praedita, utero exsecto tali modo mutavit animum, ut vix cognosceretur eadem. Aqua porrigebatur pro potu, et aq. laurocer. cum tincturae op. aliquot guttis. Summa virium prostratio, faciei pallor, cutis frigidus, pulsus parvi contracti, octoginta quinque ictus numerandi. Vomituritio, et mox vomitus, mucus et panis, quem ante operationem sumserat, emittebantur. Porrigebantur aq. amygd. am. conc. gtt. xx tinct. op. simpl. gtt. *vj.* in cochleario cum aqua mixtae. Formula prima: ℞. *Amygd. dulc. excort.* ℥ß. *Am. amar. exc.* ʒ*jj. Aq. flor. til.* ℥*vj. ter. f. l. a. em. cui adde Aq. amygd. amar. conc.* ʒ*jj. Syrup. de Alth.* ℥*j. M. D. S. Alle 2 Stunden einen Eſslöffel voll.* — ℞. *Natr. carb. acid. Acid. tart.* āā *gr. vj. Sacch. alb. gr.* xɪɪ. *M. D. t. d. vj. Zu Zeiten beim Erbrechen.*

Hora XI. Dolores in abdomine. Summa debilitas, deliquia, sudores frigidi in facie. Pulsus minimi, celerrimi, vix sentiendi. Vomituritio et sitis vehemens. Vomitus subsequens pulvere aerophoro compescebatur, et aegra paulisper dormiebat.

Hora XII et dimid. Sitis vehementissima; decoctum ex avenis excorticatis porrigebatur, quod libenter quoque hauriebat. Ructus saepe redeuntes: summaque sequebatur virium prostratio, animique deliquia observabantur: pulsus autem debilissimi, nunquam vero intermittentes. Sanguis e vagina profluebat, quam ob rem fascia et carpia solvebantur, sanguinisque puri copia unc. VIII — X e vagina proveniebat. Nova fascia indita, aliaque carpia eadem solutione aluminosa perfusa immissa, et injectiones ex aceto; cataplasmata quoque ex aceto frigido in abdomen posita. Simul frons et tempora cum aceto concentrato et naphthae guttis fricabantur. Pulsus vero paululum fortiores, aegraeque facies meliorem praebebat adspectum.

Hora II. Facies aegrae collapsa et pallida. Extremitates frigidae, aegraque de frigore querebatur: pulsus molles et accelerati. Vomituritio et vomitus, omniaque, quae aegra sumebat, tali modo evomebat. Pulvis aerophorus et infusum melissae porrigebantur.

Hora III et dim. Extremitates calidiores: pulsus frequentiores, et vomituritiones rariores. Per aliquot tempus dormiebat aegra, sed novis excitabatur vomituritionibus, quibus pulvis aerophorus opponebatur.

Hora VI et dim. Pulsus parvi facile comprimendi. Centum et triginta numerabantur ictus. Dolores vehementissimi in abdomine et vomituritiones, quin aliquid evomeret. Sitis permagna. Tenesmus et urinae involuntarius effluxus. Ut sitis compescatur, aquam cum succo citrino et saccharo bibit, pulvis aerophorus porrigitur, ut vomituritiones leniantur.

Hora IX. Status aegrae melior. Rariores vomituritiones, ructus vero crebriores. Flatus frustra emittere studet, dolor vero in hypochondrio dextro tactu minimo augetur. Cutis temperatura aequalis, nec aberrans a normali: facies autem frigidior. Aquae lauroc. gtt. xx et tinct. op. simpl. gtt. *jjj* sumit.

Hora X. Aegra situm suum mutare cupit, quum dormire sueta est in latere sinistro jacens: permittitur situs. At respiratio cum impediretur, situm jam occu-

occupatum elegit. Vomituritiones redeuntes pulv. aeroph. et aq. lauroc. gtt. xvj. compescebantur.

Die XXVI. Jul. Hora II. Pulsuum ictus centum et viginti, dolores summi, sitis permagna.

Hora IV. Catheteris ope unciar. quat. copia urinae emittebatur, qua retenta valde aegra vexabatur.

Hora VI. Abdomen tensum et dolorificum: qui dolores quum hora IX non remitterent, pulsusque essent pleniores et duriusculi, hirudines octodecim loco dolorifico imponebantur. Nitrum in aqua cerasorum Syrup. de Alth. et gummi arabic. porrigebatur. Insuper pulveres e mercur. dulc. *gr. j.* cum op. pur. *gr.* ß. ordinabantur, ut aegra dimidiam talis pulveris partem secunda qualibet hora hauriret. Clysma, quod ipsa cupiebat aegra, e speciebus emollientibus cum oleo permittebatur.

Hora XII. Sanguis e hirudinum vulneribus adhuc profluebat. Aegrae status parum mutatus. Dolores in abdomine paululum silebant, respiratio aucta, sitis vehemens.

Hora I. Major quies, pulsuum ictus centum et vigint. quat. Cutis humida.

Hora II. Novi in abdomine dolores. Cutis temperatura adaucta, pulsuum ictus centum et triginta sex. Pulvis mercurialis porrigebatur.

Hora IV. Respiratio gravior, pulsuum centum et quadraginta ictus. Clysma positum, flatusque secuti.

Hora V. Status melior. Respiratio aequalis, pulsuum ictus centum et triginta. Catheteris ope magna copia urinae emittebatur.

Hora VIII. Injectiones in vaginam ex decocto specierum emollientium, ut purgaretur. Pulvis mercurialis porrigebatur, et mixtura nitrosa ordinabatur.

Hora IX. Pulsus celeriores, intermittentes, parvi et debiles: sitis non ejusdem ac antea vehementiae. Abdomen dolorificum.

Ab hora decima usque quintam matutinam dies XXVII. Jul. aegra interdum dormiebat. Per noctem pulvis et infusum melissae adhibebatur. Respiratio celerior facta, et hora V matutina sitis adaucta: nec minimum tactum in abdomine perferre potuit. Nova in vaginam injectio ex decocto specierum emollientium. Vaginae vulnus contractum erat. Hirudines sedecim in abdomen ponebantur.

Hora VIII. Status pejor, pulsus frequentissimi, minimi, facile comprimendi: sopor aegram tenet.

Hora VIII et dim. duodecim adhuc applicabantur in abdomen hirudines; sed summa sequebatur virium debilitas. Quae vires ut levarentur, acid. phosph. gtt. x cum aq. cinam. et infus. meliss. porrigebantur. Sudores oriebantur frigidi, dolores summi, et respiratio anxia. Obstipationi alvi oleum Ricini opponebatur.

Hora II. Guttas sumebat aliquot elix. acid. Hall. cum infus. melissae.

Hora III. Sitis vehementissima, labiorum color mutatus, pulsus celerrimi et debiles, summa aegrae inquietudo. Facies et extremitates frigidae: tumens

facies, oculi clausi, convulsiones extremitatum leves, pulsus vix sentiendi, et mors imminens, quae hora quarta ejus vitae finem imposuit.

Cadaveris dissectio die XXVIII. Jul. hora VII matutina presentibus iisdem viris, qui operationi aderant, manu Dr. *Hoffmann* instituta haec ostendit: Corpus bene erat nutritum; in femoribus et cruribus varices: abdomen discolor, lividum et inflatum. Quum abdomen manu premeretur, e vagina materiae aquosae cum sanguine commixta quantitas defluebat. Adaperto abdomine operatione ipsa nullam partem laesam, eamque summa cum dexteritate peractam fuisse, facile cognoscebatur: neque vesica urinaria, neque rectum laesa inveniebantur. In pelvi sanguinis coagulati copia parva. Tubae in utraque parte discissae contractae reperiebantur, et ovaria eodem modo erant retracta. In vagina apertura, ex qua dissectus erat uterus, erat aequalis, per quam digitus vix pervenire posset. Ovaria paululum tumebant, ceterum vero sana reperiebantur. Inflammatio autem omnium partium vicinarum satis pernoscebatur. Peritonaeum enim, quod obducit vesicam urinariam,rectum, musculos abdominis, hepar etc. summo rubore erat instructum; vasa perspicue erant videnda. Eodem modo intestina tenuia et colon transversum cum omentis erant inflammata. In curvatura ventriculi magna idem status. Glandulae vero meseraicae immutatae a conditione naturali detegebantur. Hepar sanguine, erat inane parenchyma pallidum et molle; solito vero majus erat hoc organon. Cetera intestina sana reperiebantur. In thorace cor et pericardium nil pathologici ostendebant: pulmones in superficie sani, in quibusdam vero locis, inprimis in dextra parte cum pleura costali cohaerebant. In dextri vero pulmonis parte posteriore multa tubercula variae formae pure repleta erant. Idem status in lobo superiore pulmonis sinistri. Glandula thymus solito major adhuc reperiebatur. Dura mater vasibus venosis turgebat, sinusque majores multo sanguine erant repleti. In cerebro antem nil memoratu digni reperiebatur.

Uterum vero exsectum si penitiori observamus studio, haec nobis ostendit: Volumen ejus duplicem habet magnitudinem, ac in muliere aegrae annos habente observari solet. Ejus substantia firma est, dura, et difficile comprimenda. Vagina, tubae et ligamenta ita sunt dissecta, ut lineas aliquot ab uteri peripheria tantummodo eorum vestigia sint reperienda,(*Fig.* I. *b.*) quorum aliquantulum major est pars dissecta sinistra. Collum vero uteri solito majus est. Orificium ejus externum tuberculis scirrhosis, duritiem lapideam imitantibus, subrotundis est instructum, (*Fig.* II. et III.) quorum inferius posterius cetera magnitudine antecellit. (*Fig.* I. *e.* *Fig.* II. *b.* *Fig.* III.) Multae vesiculae, lympha illa suspecta plenae videnda sunt in labiis externis orificii uteri. (*Fig.* II. *e.*) In parte dextra inter majora et minora tubercula locus est mollior, rubicundior, specillo ad omnes directiones patens. (*Fig.* II. *d.*) Ex utero aperto materiae viridis magna effluebat copia. Uteri cavum solito amplius. In canali cervicis multa erant tubercula et protuberantiae duritiei permagnae, (*Fig.* IV. *c.*) inprimis in parte posteriore locus est scirrhosus, qui in illud magnum tuberculum scirrhosum labii posterioris abiit, (*Fig.* IV. *f.*)

inter quae octodecim-viginti ovula Nabothiana sita sunt. (*Fig.* IV. *a.*) In cavi uteri regione sinistra, ubi tuba fallopiana utero inhaeret, locus est mollior colore rubro tinctus, erosus, (*Fig.* IV. *b.*) et vivae in eodem loco (*Fig.* III. *b.*) dolores vehementisimi digito examinante excitabantur. Ceterum cavum uteri muco molliori et rubicundiore erat obtectum. In uteri dissecti parenchymate vasorum lumina et glandulae observantur. (*Fig.* IV. *d. e.*) Vesiculae quoque in superficie interiore uteri multae sunt sitae. (*Fig.* IV. *d.*) Portionis vaginalis longitudo pollicis est unius; ejus circuitus quatuor pollices et duas lineas mens. berol. et diameter ejus rectus et transversus unum habet pollicem. Pondus totius uteri trium. unc. et drachm. dimid. est. Diameter horizontalis tres pollices et transversus duos pollic. et quinq. lineas habet. Diameter per substantiam uteri a parte anteriore usque ad superficiem posteriorem unum fere pollicem attingit.

TABULAE EXPLICATIO.

Fig. I. Uterus exsectus. — *a.* Paries uteri anterior ad vesicam urinariam vergens, peritonaeo adhuc circumdata. — *b.b.* Tubarum et ligamentorum uteri vestigia. — *c.c.* Vasorum solito crassiorum perscissorum lumina. — *d.d.* Foramina duo, per quae filum (ansa) inter operationem erat trajectum. — *e.* Tuberculum scirrhosum majus in labio orificii uteri posteriore.

Fig. II. Uteri horizontalis effigies, in qua optime perlustrari potest orificium degeneratum, uti ante operationem per vaginam percipiebatur. — *a.* Paries uteri posterior. — *b.* Induratio scirrhosa major in labio posteriore orificii. — *c.* Induratio in labio anteriore. — *d.* Locus mollior, specillo ad omnes directiones patens. — *e.e.* Vesiculae lympha illa suspecta plenae. — *f.f.* Filum per collum uteri trajectum.

Fig. III. Uterus supinatus a latere sinistro, uti per vaginam ante operationem digito examinante percipi potuit. — *a.* Uteri parietis anterioris pars. — *b.* Locus, qui minimo tactu magnopere dolebat, cui respondet in cavo uteri ulcus. (Fig. IV. *b.*) — *c.* Tuberculum scirrhosum majus in inferiore labio orificii. — *d.* Tuberculum scirrhosum majus in labio uteri anteriore. — *e.e.* Filum.

Fig. IV. Uterus incisione in pariete anteriore facta apertus, ut cavum perspici possit. — *A.A.* Parietes indurati uteri. — *a.* Ovula Nabothiana. — *b.* Locus in cavi uteri pariete posteriore mollior et erosus. — *c.* Tubercula in cervice uteri. — *d.d.* Vesiculae in cavo uteri et in parietibus dissectis. — *e.e.* Lumina vasorum solito majora. — *f.* Locus induratus in collo uteri, qui in majus illud tuberculum labii posterioris orificii abit. (Fig. II. *b.*) — *g.g.* Foramina, per quae filum erat trajectum.

Fig. V. Acu argenteum flexile cum acumine chalybeo.

Fig. VI. Idem acu, cui filum inhaeret; in ipso acu flexura est videnda, qua ad filum inducendum ante operationem instruebatur.

ADNOTATIO POSTHUMA.

Quum ultimae jam dissertationis pagellae sub prelo sudarent, casum observandi occasio se mihi obtulit, quem memoratu dignissimum brevibus verbis describere eumque dissertationis meae §. 19. pag. 18. not. 1. adjungere velim.

M. Z. Berolinensis, annos nata triginta octo, marita, opem policlinici obstetricii regii jam ante novem abhinc hebdomadas imploraverat, partim ut partui instanti auxilium suo tempore inveniret, partim ut ab haemorrhagia vehementi, qua eo tempore laboraret, liberaretur. Amicissimus *A. Hoffmann*, assistentis munere ex quinque jam annis fungens, aegrae statu perquisito sequentia inveniebat: Gravida erat facta in principio mensis Jun. ann. MDCCCXXV. Abdomen erat haud dolorificum, sed magnopere extensum. Motus infantis in parte dextra sentiendus. Fundus uteri inter umbilicum et scrobiculum cordis, huic propior. Genitalia externa tumentia, vaginae temperatura auctior; in vagina magna coaguli sanguinis copia. In parte dextra posteriore tubercula durissima, scirrhosa, labio orificii uteri posteriori insidentia, digitis prominentibus similia totam fere explebant vaginam. Labium anterius sanius reperiebatur. Tumores non dolebant, quin fortiorem tactum perferebant, Pars praevia infantis non detegebatur. Quum autem haemorrhagia vexaretur vehementi, quae saepissime iis diebus redierat, quies commendata: aqua crystallina, elix. acid. Hall. cum tinct. cinam. hirudines in regionem ossis sacri: et tali modo intra viginti quatuor horas haemorrhagia sistebatur, nec ultra redibat usque ad tempus partus.

Sed perquiramus aegrae statum praecedentem, brevemque expositionem ejus vitae anterioris faciamus. Anno aetatis suae vicesimo primo nupserat, et tredecim infantes felicibus ex eo tempore semper partubus ediderat. Tempus graviditatis et puerperii normalem semper habebat decursum. Ultimum partum ante tres annos sustinuerat. Anno vero MDCCCXXV auxilium in clinico patris quaerebat. De doloribus in regione hypochondriaca dextra conquesta metrorrhagia quoque laboravit. Dolores quoque in regione ossis sacri sentiit, neque ponderis sensus in pelvi abfuit. Obstipatio alvi, sanguisque per alvum emissus. Quam statum jam per octo fere menses percepit, quin auxilium medici implorasset. Exploratio tunc temporis instituta orificium uteri solito majus, tuberculosum, in apertura fere inferiore situm, imprimis labium posterius orificii tuberculis obsitum ostendit. Effluxus lotioni carnis similis adfuit, proprius vero carcinomatis odor nullus. Morbus induratio scirrhosa designatus. Adhibebantur hirudines, emulsiones salinae, calomel cum digitali: methodusque Frankiana a die XI. Mart. ejusdem anni instituta effectum optatum hoc in casu non ostendit, nimios enim malum jam fecit progressus. Mitigabantur quidem dolores, et effluxus minuebatur. Menses quoque regulares. Rebus sic se habentibus coitum repetere incepit sub fine Maji, gravidaque facta est initio Junii, ut supra memoravimus.

Primi ad partum dolores die VII. Mart. huj. ann. apparebant, et quidem nocturno tempore hora XI. Vehementes erant, abdomenque durum sentiebatur. Interna exploratio excrescentias illas scirrhosas magis in vaginae inferiorem partem propulsas esse docebat. Orificium uteri ad symphysin fere vergebat: externum os erat apertum, ita ut digito intrare posses: in internum

vero digitus vix immittebatur. Pars praevia nondum percipiebatur. Die VIII. Mart. hora quarta postmerid. status erat idem. Pater meus accersitus ea, quae nos exploratio docuerat, affirmabat: caput vero infantis digito attingere potuit, quod autem movendum adhuc erat. Ut autem excrescentiae uteri, quarum sedes praecipue in labio posteriore erat, quae uteri functionem normalem turbabant, partumque progredientem impediebant, molliores fierent, uterique actioni minus obstarent, unguenti neapolitani cum laud. liq. Sydenh. inunctiones in hac degenerationes suadebat pater (Conf. *Journal für Geburtshülfe etc. von El. v. Siebold VI. Bd.* 1. *St. pag.* 112. „*Schnelle Hülfe der grauen Quecksilbersalbe bei zwei Abnormitäten des Muttermundes während der Niederkunft.*" *Von Dr. Rummel.*) Totum vero parietem posteriorem uteri scirrho sine dubio laborare, et uteri actionem praecipue hoc malo impediri, pater pradixerat, quod postea manus amici mei *Hoffmann* inter infantis versionem affirmatum inveniebat. Injectiones simul e speciebus emollientibus in vaginam immittebantur. Dolores per noctem mitiores. — Die IX. Mart. hora IX matut. orificium magis apertum inveniebatur. Nullus autem ex inunctionibus saepe repetitis effectus. Spongia nunc eodem unguento cum laudan. liq. Sydenh. infecta saepissime renovata in orificium uteri apertum ponebatur. Paulatim orificium extendebatur, doloresque fortiores et regulares sequebantur. Vespert. tempor. hora VII velamenta percipiebantur. Hora autem VIII et dim. aquae effluebant, et statim ab amico *Hoffmann* infantis versio instituebatur, et magna adhuc aquae copia durante operatione excernebatur. Terribilis autem sequebatur haemorrhagia, ita, ut mater animi deliquium pateretur. Infante statim soluto, et placentae artificiali solutione instituto omnia remedia ad sistendum sanguinem adhibebantur, injectiones in vaginam ex aqua frigida et aceto paratae, fomentationes, frictiones etc. interne tinct. cinam. et acid. phosphor. spongiaque tandem in vaginam immissa sistebatur sanguis. Pulsus autem vix sentiendi, quanquam in vitam revocata esset mater. Per noctem deliria blanda: ad matutinum vero tempus diei X Mart. animum suum recreaverat; pulsus pleniores; dormiebat per aliquot horas, magisque refecta expergiscebatur. Idem status vespertino tempore ejusdem diei. Lochia secernebantur aquosa, nec omni spe destituti sumus, fore, ut aegrae puerperium adhuc sustineat, nisi haemorrhagia redeat, aut alia proveniant adversa. Morti autem celerius nunc appropinquare, quam graviditas adhuc removebat, certum est. — Ceterum infans, puella, quanquam sine vitae signis nata in vitam tamen revocabatur: sed varia erant, quae eam mox esse morituram, ostendebant. Membra nondum erant rite exculta; in capite duo erant tumores cranii sanguinei in utroque osse bregmatis: corpus erat obtectum varicibus, inprimis genitalia. Linguae margines cum cavo oris intime cohaerebant, ita, ut exseri non posset: quam ob causam nil deglutiebat infans: respiratio quoque impedita. Vari in utraque pede, digitique manuum degenerati. Vespert. quoq. tempore diei X. Mart. mortua est. — Quam autem historiam, cujus brevem tantummodo nec finitam expositionem huc proferre potuimus, suo loco propriis adnotationibus ornatam magisque explanatam et continuatam patrem meum esse indicaturum, inprimis quum ad policlinici instituti, cui praeest, hic casus pertineat, quam maxime sperandum a nobis est.

E R R A T A.

pag. 1 lin. 2 loc. animos leg. animas.
— 2 in annot. 1 lin. 7 loc. ad leg. de.
— 13 in annotat 3 lin. 2 loc quadum leg. quadam.
— — lin. 12 loc. suum leg. suam.
— 14 lin. 4 loc. obvelnatur leg. obvelantur.
— 17 lin. ult loc. quem leg. quam.
— 20 lin. 4 loc. statum miserum leg. status miser.
— 21 in annot. 7 lin. 1 loc. causum leg. causam.
— 24 in annot. 5 lin. 1 loc. mali leg. malo.
— 25 lin. 19 loc. amarum leg. amararum.
— 35 lin. 31 loc. suum leg. suam.
— 38 lin. 18 loc. lauguedo leg. languedo.

CURRICULUM VITAE
EX DECRETO
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS BEROLINENSIS
ADIECTUM.

Ego Ed. C. Casp. J. Jac. de Siebold anno millesimo octingentesimo primo die undevicesimo mensis Martii natus sum Herbipoli, patre optimo A. El. de Siebold, Potentissimo Borussorum Regi a consiliis intimis supremis hujusque universitatis professore medicinae P. O. et matre desideratissima Soph. Schäffer, quam nimis matura morte ante novem abhinc annos arreptam lugeo. Primis literarum rudimentis in domo mea patria imbutus gymnasium ejusdem urbis, in qua tunc temporis pater professoris munere in universitate Juliana fungebatur, frequentavi per quatuor annos, linguamque latinam et graecam ex more in hoc instituto florente inprimis colui. Anno MDCCCXVI pater a potentissimo Borussorum rege Berolinum vocatus, patriam suam relinquens, mense Octobr. Berolinum se contulit, ut in alma ejusdem urbis universitate artem obstetriciam doceret, aedesque huic fini sacras funderet. Patrem secutus gymnasium Berolinense adii, cujus civibus a celeb. Bellermann, hujus instituti directore, adscriptus sum. Usque ad annum MDCCCXX hoc institutum eruditioni juvenili consecratum frequentavi, et optimorum magistrorum institutiones omni, qua potui, diligentia hausi. Tempore paschali ejusdem anni examine more solito in eodem gymnasio peracto, maturitatis testimonio instructus, inter hujus almae musarum sedis cives ab illustr. Goeschen, fasces academicas tunc temporis tenente, die vicesimo secundo Mart. receptus, et facultati medicae a Decano magnif. ejusdem anni perillustr. Graefe sum adscriptus. Ne autem sint, qui mirentur, opprobriumque mihi faciant, me per sex annos studia academica prolongasse: addere sufficiat, me per annum stipendia fecisse in excercitu Potentissimi Borussorum Regis: „fugiunt enim scientiae arma, nec semper Mars amicus Minervae." Liceat vero, ea studia nominare, quae excolui per totum academiae curriculum, Ciceronis effati memor: „alere haec studia adolescentiam, oblectare senectutem, ornare res secundas, adversis perfugium et solatium praebere." Methodologiam enim philosophicam me edocuit celeb. ab Henning, philosophiae antiquae cel. Ritter praeceptor mihi fuit: logicen illustr. Hegel et dialecticen exponentem celeb. Schleiermacher audivi: in antiqui mediique aevi historia cel. Wilken et illustr. de Raumer mihi fuerunt praeceptores. De re nummaria disserentem cel. Tölken, Aristophanisque nubes doct. Bernhardy exponentem audivi, Miltoniique poema „Paradise lost" coram celeb. de Seymour in linguam vernaculam tradere ausus sum. — In medicis vero sequentes audivi scholas a primo meo semestri academico usque ad semestre hibernum anni MDCCCXXIII: in omne medicae artis campum me duxit illustr. Rudolphi: in naturae studiis praeceptores mihi fuerunt cel. Link, cujus ex ore biologiam, historiam naturalem, botanicen et geographiam physicalem audivi, illustr. Fischer et celeb. Ermann, qui in omni re physica me instituerunt. In anatomia usus sum praeceptoribus celeb. Knape et illustr. Rudolphi, quorum alter me edocuit osteologiam, syndesmologiam et splanchnologiam, alter vero totam humani corporis fabricam organaque sensuum, qui me in dissecandis cadaveribus quoque instituerunt. Per hiemem quoque famuli munere apud illustr. Knape fungebar, et me in rebus anatomicis hujus Viri benevolentiae quam multa debere, pio gratoque animo confiteor.

Anatomiae comparatae studium mihi aperuit illustr. Rudolphi, cujus quoque praelectionibus de entozois non defui. De physiologia generali celeb. Horkel disserentem audivi: penitiorem vero hujus studii doctrinam illustr. Rudolphi mihi tradidit. Chemiam universalem me edocuit illustr. Hermbstaedt, medicam vero ejus partem pharmacologiamque illustr. Link. In medicis vero studiis practicis celeb. Horn discipulum me admisit ad pathologiae therapiaeque specialis praelectiones, quo duce etiam morbos venereos curandos didici. Perillustr. Hufeland morborum acutorum therapiam, celeber. Berends morborum, quorum sedes in systemate nervoso, cognitionem me edocuit, cujus etiam praelectionibus de aphorismis Hippocratis adfui. In chirurgia celeb. Rust, in arte obstetricia pater optimus me erudiverunt, cujus etiam exercitationibus in machina phantome institutis interfui. Materiam medicam celeb. Osann, artemque formularum conscribendarum illustr. Knape mihi tradiderunt. Morborum vero effectum in corpus humanum ex singularibus anatomiae pathologicae demonstrationibus ab illustr. Rudolphi edoctus sum. Denique ut, quae a praeceptoribus acceperam, in unum converterem, instituta clinica ill. Berends, celeb. Hufeland patrisque optimi frequentavi.

Hieme anni MDCCCXXIII Gottingam me contuli, partim ut studia mea Berolini inchoata ibi continuarem, partim ut ditissimo Bibliothecae inclytae thesauro uti possem, ibique per duos annos commoratus sum. A celeb. Mitscherlich civium Georgiae Augustae adscriptus sequentes frequentavi praelectiones: perillust. Blumenbach, rei naturalis Germaniae Nestorem, de naturae historia et anatomia comparata disserentem audivi, celeb. Stromeyer in chemia et pharmacia praeceptor mihi fuit; pathologiam et therapiam generalem celeb. Conradi et illustr. Himly omnem pathologiam et therapiam specialem neque minus ophthalmologiam me edocuit: celeb. Langenbeck de anatomia, chirurgia et ophthalmologia scholis interfui: et in medicina forensi celeb. Mende praeceptorem habui. Contagiorum et venenorum naturam illustr. Marx me docuit. Artem vero fasciarum chirurgicarum imponendarum a Doctore Pauli didici. Instituta clinica ducibus cel. Himly et illustr. Conradi frequentavi, neque minus hospitium chirurgicum et obstetricium, quibus praesunt illustr. Langenbeck et celeb. Mende. In instituto anatomico, cui praeest ill. Langenbeck, cadavera dissecui, quo etiam magistro usus sum in operationibus chirurgico-ophthalmiatricis in cadaveribus perficiendis.

Sub finem aestatis anni MDCCCXXV redux institutis clinicis caritatis sub auspiciis cel. Neumann et Rust adfui, neque minus institutum chirurgicum, cui illustr. Graefe praeest, frequentavi; ita quoque ill. Graefe de aciurgia et celeb. Knape de medicina forensi disserentes audivi: in patris autem optimi instituto obstetricio assistentis munere fungor.

Omnibus Praeceptoribus meis honoratissimis maximas, quas possum, gratias ago habeoque, atque Eorum in me merita semper mente venerabor gratissima.

Jam vero tentamine et examine rigoroso coram gratiosa medicorum facultate feliciter absolutis, et dissertatione conscripta, spero fore, ut summi in medicina et chirurgia honores post defensam hanc dissertationem rite in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I. Certe magnus Hippocrates, si novisset recentiorum inventa, major fuisset.
II. Experimentum omne in medicina difficillimum.
III. Sit brevis aut nullus tibi somnus meridianus.
IV. Artem obstetriciam a feminis praeoccupatam et generi humano et scientiae noxium esse, contendo.
V. Medicus obstetricius chirurgiam exercere non potest.
VI. Medicus eo ipso philosophus.
VII. Anatomia est fundamentum chirurgiae.
VIII. Dissertatione conscripta per decem annos ab omni labore literario abstineat medicus.
IX. Suicidium a medicis tantummodo est judicandum.




Fig. II.




Fig. III.




Fig. IV.



Fig. VI

